





NAZIONALE
36
18 B
11
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

5

DE PACIFICATIONE ET DILECTIONE INIMICORVM INIVRIARVMQVE REMISSIONE.

Tractatio admodum vtilis Remp. & curam animarum gerentibus, concionatoribus, pacificatoribus, armatis, alijsque viris, vt ex indice capitum cognoscere licet.



CVM APENDICE, DE AMORE ET CONCORDIA FRATERNA.

AVCTORE LVDOVICO CARBONE.

Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.



Pertinet ad Bibliothecam S. Petri in Montorio

FLORENTIAE
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXIII.

Uno de' libri di D. Domenico Arno comprato il di 4 febbraio 1578 c. pagato bajocchi 7 ...

LIBRI APPROBATIO.



A Profectò temporum ratio eſt, vt qui ad præclara, egregiaq; facta ſua ſtudia conferunt, eorum nèdum opera, verum & nomina excelſo, ſublimiq; in loco, atq; in Illuſtri quadam ſpecula collocare: & ſi (in huius teſtimonium) Magni Oratoris eſt humilia extollere, obſcuraque illuſtrare: Quanto magis, quæ per ſe ſublimia, claraq; exiſtunt, ſummis laudibus decorare? Siq; tot profana, hominum mentes allicere valuerunt, vt laudibus proſequerentur maximis, quæ ludibrijs potius afficienda viderentur. Quis mortalium, vnius tanti Operis laudibus ſuperſedere poterit? Quapropter, cum Dominus Ludouicus Carbo à Conſtacciario, Doctor, Theologus, in Almo Gymnaſio Peruſino ſacræ Theologiæ publicus Profeſſor, Opus tam præclarum, pium, ſanctumq;, ex ſe promptum, Florentiæ imprimi cupiat; ipſumq; (vt moris eſt ſecundum canonicas ſanctiones) Inquiſitioni huic Florentiæ tradiderit approbandum; vt eius venia comuni omnium vtilitati dicaretur: Propterea Nos Frater Dionyſius Conſtacciarius, ord. min. Conuen. Doctor Theol. totius Florent. Dominij Generalis Inquiſitor Hereticæ Prauitatis, à ſancta ſede Apoſtolica ad hoc ſpecialiter delegatus. Cognita recta Authoris intentione; operis perfecta vtilitate; miro procedendi ordine; ſuſcepti oneris aperta diuiſione; ad ſacros Canones, vniuerſamq; ſacram ſcripturam cum Auctoribus tàm Græcis, quàm latinis; tam ſacris, quàm ſcolaſticis mirifica proportione; fideli doctrinæ via; excellenti libri denominatione; atque Authoris tam celeberrimi nomine; cuius facta ſemper ad alta ſpectarunt: Tenore præſentium, Auctoritate, qua fungimur in hac parte; Opus hoc approbamus,

approbatumque declaramus; Tibi dilecto nobis in Christo Bartholomeo Sermartellio Publico Florentiæ Impressori liberam ipsum imprimendi, atque impressum omnibus comunicandi facultatem tribuentes; quoscunque in Domino hortantes, vt ipsum ita familiariter perlegant, permeditenturq;, vt in hoc peregrinationis statu tamquam veræ Christianeq; pacis ob seruatores, perfecta sint adeò in proximum dilectione affecti, vt in Patria, æterna æternè perfrui mereantur. In quorum fidem. Datum Florentiæ in AEdibus sanctæ Crucis die 1. Mensis. Ianuar. M D L XXX I I.

Frater Dionysius Constacciarius qui supra Inquisitor Generalis Florentiæ & Florentini Dominii approbat manu propria.

Loco Sigilli.

FRATRIS MARCI ANTONII DE RAINALDIS Fauentini minoritæ Conuentualis Tetrasticum.

DVm varias hominum mẽtes discordia soluit.
Dum pax concordi iungit amore pares.
Pax ait. Vnius ductu prostrata cruento
Iam LVDO VICI *bella, trucesq; minas.*

Eiusdem Disticum Ad Authorem.

Auctor Carbo licet: tamen es splendore decorus
Scriptaq; sunt pura Candidiora niue.

FVLVIO CORNEO CARDINALI EPISCOPO PORTVENSI.



LVDOVICVS CARBO. S. P. D.



VEMADMODVM vituperatione digni esse videntur ij, Cardinalis amplissime, qui sine vllo delectu quidquid lucubrati fuerint in apertum proferunt: ita, nec illi, qui cum vtile aliquod conflauerint opus, intra domesticos parietes, nihil humanis rationibus consulentes, latitare per mittunt, laudem promerentur vllam. Vtri verò, offendant magis, non facile quis dixe rit. Cæterum, cum ea animaduerto, quæ ex librorum inutilium editione proficiscuntur incommoda, in quibus illud, vt mittamus reliqua, maximum existit, quod à libro rum vtilium lectione ingenua reuocatur iuuentus: libenter in eorum qui priores magis, quàm posteriores, peccare existimant, sententiam eo. Quare, illud omnino exploratum habeo, aut nihil edendum esse; aut sa nè, si quid in lucem dandum est, id eiusmo-

di esse oportere, quod reip. vtilitatem non vulgarem prudentissimorum hominum iudicio, sit allaturum. Cum hac de re, aliquando cum amicis, prudentia, doctrinaque non aspernanda viris, sermonem haberem; statim ij, modesto quodam conuicio, quòd me ab edendo alienum esse demonstrarem, me verberare cœperunt; quippe qui certò scirent, multas me habere lucubrationes, quæ si typis darentur, reip. humanæ, cui nemo est qui non debeat, ipsorum iudicio, maximæ vtilitati essent futuræ. Postea, cum hisce honestis amicorum admonitionibus refragari inhumanum esse viderem, cogitare cœpi, qua nam potissimum re, & beneuolorũ hortationibus, & partibus meis facere satis possem: Et statim in memoriam venit, me disputationem quandam habere, cuius conficiendæ, tu Princeps optime, occasionem mihi prębuisti. Audiui enim aliquando te, in Seminario Perusino, à te etiam ante Concilium Tridentinum diuino quodam afflatu instituto, tum maximis laboribus, ac sumptibus, pro tua erga Deum pietate magnifice extructo, summa cum prudentia veram sententiam defendentem, ac pro ea, tanquam pro aris, & focis dimicantem, super ea controuersia admodum dubia, ac singulis fere diebus vbique locorum ventilata, non dum tamen satis perspecta: an cum inimico conciliationem extrinsecam petente, pacem facere


debea-

debeamus: cuius tu quæstionis aientem partem, tanquam philosophiæ christianæ magis consonam, meritò sustentabas: contra quam multi ex ijs qui aderant, stare non verebantur. Huic igitur disputationi, cui viri grauissimi adfuerunt, inter quos Ioannes Petrus Ghislerius tunc Perusinus Prætor, summi officij, summæque prudentiæ vir, vt merito Pius V. acer ingeniorum æstimator, multum ei tribuerit, amplissimisque honoribus ornauerit; cum ego quoque interessem, de mea opinione interrogatus, quid sentirem, paucis exposui. Postea, cum animaduerterim rem esse diligenti disquisitione dignam, accedente etiam iussu Francisci Bossij, tunc Episcopi Perusini, quædam ad corroborandam opinionem tuam, & veritatem ipsam scribere aggressus sum; quæ cum perfecissem, Bossio perspicacis ingenij, summæque religionis viro, legenda tradidi: ea, cum probasset, publicè vt docerem imperauit. Delitescebat itaque apud me tractatio hæc: ad cuius editionem, non modo amicorum, vt paulo ante dixi, cohortationes; sed etiam cuiusdam docti, & religiosi ex familia Capucinorum viri auctoritas, me commouit. Is etenim, hanc nostram disputationem, quam familiaris meus Marcus Antonius Massius, vir sacris litteris, & Christiana pietate bene imbutus, ac proinde meritò Doctor, & Canonicus Perusinus, ei tradi-

derat, cum legiſſet; ita de ea ſenſit, vt contra religionem me facturum eſſe diceret, foras ni darem. Dictis igitur de cauſis, in gloriam Dei optimi maximi, qui ſingulari quadam ſua cura, vt aliquid eruditionis adipiſcerer effecit, hanc lucubrationem tanquam ingenioli mei primitias, edere decreui. Tibi verò optime Præſul, hoc meum munuſculum potiſsimum nuncupandum eſſe exiſtimaui; cùm, vt grati animi, aliquam tibi de me meritiſsimo ſignificationem darem: tum etiam, quod a te quodammodo originem duxit ſuam: addo & illud, quòd nemini, hæc de pacificatione tractatio, gratior eſſe poteſt, quàm ei, qui in conciliandis diſsidentium animis, totus ſemper fuit, & eſt occupatus. Illud autem hoc loco, à me requiras nolim, virtutes ſcilicet, prædicare vt debeam tuas: tum, quòd elegantes, & docti viri ſoluta, numeriſque conſtricta oratione id fecere; tum etiam, quòd non ea ſum dicendi copia inſtructus, qua virtutibus tuis, & rebus a te geſtis, aliquid dicendo ſplendoris, afferre poſsim. Quare, cum de Phauorini grauiſsimi philoſophi ſententia, turpius ſit, exigue, frigideque laudari, quàm grauiter vituperari, quod is qui ieiune laudat, in eo quem celebrare contendit, nihil reperire poſſe videatur, quod iure laudet; nihil eſt, cur hoc munus ſuſcipere debeam. Accipe igitur nunc libenti animo,

mo,

mo, obſeruantiæ erga te meæ, ſpecimen quidem paruum; ſed maiora expecta, ſi te, vt ſpero, perpetuum Maecenatem habuero. Vale. Peruſię die XX. Maij. M D L X X X I I.



LVDOVICVS CARBO LECTORI. S.






Abes Christiane lector, non multarum noctium lucubrationes, quas magis perfectas, & limatas habuisses, si per occupationes, & amicos, qui iusto citius ad eas edendas propemodum me compulerunt, licuisset. Existimarunt enim earum æditionem, in nonum annum, vt Flaccus monebat, differre, non expedire. Quare, si in nostris scriptis, aliquid amplius, & maxime latini sermonis elegantiam desiderabis maiorem, vnde me excuses, habes. Et certe, quantum ad elegantiam attinet; Irenęi, Clementis, & Cyrilli Alexandrini Methodij, Symachi, Ermodij, Theodoreti, Gregorij presbyteri, Hieronymi, græcæ, & latinæ linguæ Principum Platonis inquam, & Ciceronis sententia est, eum, qui hoc genus rerum tractat, verborum non debere affectare nitorem; vt sapienter Hidelbertus scripserit: Periculosè quisque est delicatus: & ille cecinerit.

Horat. *Ac non verba sequi fidibus modulanda latinis*
Sed veræ numerosque modosq; ediscere vitæ.

Itaque de puritate sermonis non fuimus cum ratione admodum soliciti: cum præsertim ea nostra fuerit intentio, non tam oratorio modo hæc tractare, quàm per modum institutionis docere. Quare ab ijs vocibus, quibus scholæ vti consueuere non abstinuimus. Quod verò ad rationem tractandi, & ad res ipsas attinet distinctè, per capita, conclusiones, & regulas, ne quis in percipienda nostra sententia laboraret; aut in

ea retinenda offenderet, syncerè tradere curauimus. Et quæ grece, vel hebraice dicuntur, vt ab omnibus intelligantur, statim latina fecimus. Probationes autem, vbi necessitas postulauit, breues, & faciles adhibuimus, ac meliorum, & antiquorum doctorum auctoritate, fulcire, & sententiarum varietate exornare connixi fuimus. Itaque, & si legendis nostris, elegantia te non delectabit verborum saltem rerum, sententiarum, auctorum varietas animum sustentabit, ac recreabit tuum. Nec existimes velim, me leue, ac frigidum ad explicandum suscepisse argumentum, cum his de rebus scribam, quæ in actione vitæ positæ sunt; cum hæ res, vt Gerson grauissimus auctor scripsit, sint explicatu adinodum difficiles. Is enim, tractatu de oratione in postremis verbis, posita hac scripturæ sententia. Quæ tibi Deus præcepit, illa cogita semper, sic scribit. Quod non obseruant multi Theologorum nostri temporis, qui de moralibus, quasi de rudibus materijs, studere, vel inquirere dedignantur: sciemus inquiũt, talia cum volumus: cum tamen nulla sit ad cognoscendum bene, & resolute scientia difficilior propter circunstantiarum innumeras varietates. Ceterum, si ex his nostris lucubrationibus, quales quales sunt, aliquid candide lector vtilitatis percipies, id totum Deo Opt. Max. acceptum referas. Vale.



LVDOVICO CARBONI SACRAE THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO.

M. ANTONIVS MASSIVS. S. D.



IRABAR *equidem, mi suauissime Carbo, quid esset, quod cum ego non semel, atq; iterum, sed sæpe sæpius, summis à te precibus, & coràm, & per litteras contendissem, vt disputationem illam, de ratione reconciliationis ineundæ, quam superioribus diebus, te dictante, exceperam, patereris amicis meis communicari, semper obstinatè recusaueris: & quamquam id modestiæ, quæ summa in te est, tribuebam (quippe qui cum φιλαυτίᾳ minime capiaris, de rebus tuis ita sentis, ac si nullius ponderis essent) non poteram tamen satis te ab errore excusare, qui optime noueras, quàm vtilis futura esset, huic maxime Ciuitati, quæ cum priuatis, & intestinis odijs, & inimicitijs mirum in modum diuexetur, in aliquo subleuetur adiumento, multas patiatur angustias necesse sit: cum præsertim quamdam imbiberit eorum opinionem, qui ad reconciliationis, & restincti odii signa inimicis exhibenda, nulla ratione offensos teneri, publicè*

præ-

prædicarunt ; quæ quidem opinio eò euasit , adeò inualuit , vt altas iam in mentibus diffidentium egerit radices , ad quas , nisi securis apponatur , qua ratione auelli possint non video. quis ergo non miretur , te solum , mi Ludouice ; qui contra sentis , & vere, & sancte maximo cum rerum publicarum detrimento , sententiam tuam tenebris occlusam comprimere ? at vero vna tantum vicerat me ratio tua, quod tam magnus sit obtrectatorum numerus , vt vix ambitionis notam, inuidorumque offensiones ille effugiat, qui res suas diuulgauerit . quamobrem tuam acceperam excusationem : desliterat admiratio . hæc quamquam ita sunt , cogor tamen , & nunc quoq; , hac eadem de re tecum agere ; nam cum religiosus vir , & doctrina, & sanctitate insignis Frater Stephanus Rossanus , ex cappuccinorum, vt vocant , familia hesterna die, in cathedrali nostra Ecclesia, & rationibus , & auctoritatibus, reis veniam, & pacē petentibus, dimissi odij indicia, necessario exhibenda esse publice confirmasset ; egoq; illum , vt corā cum eo hac de re disceptarem , conuenissem, atq; inter loquendum de tua illa disputatione incidisset sermo , coegit me , vt illius sibi copiam facecerem . feci equidem , te inuito , ignoscas ; perlegit ille , maxima cum animi sui oblectatione , & non sine maximo tuarum laudum præconio . hoc vnum de te conquerebatur ; quod disputationem hanc , christianæ Reip. perutilem prælo excudendam non traderes , & mihi , quod tantus non essem , qui id tibi valerem persuadere , atq; tibi

talenti sudario inuoluti, & absconditi conscientiæ scrupulos iniicere cœpit. pro viribus me ipsum excusabam, quod sæpissime id à te, & vehementer expostulassem; te quoque quod vulgi vereharis inuidiam, & calumnias; at nullus erat excusationi locus. quamobrem, vt hunc è mente mea scrupulum omni ex parte euellerem, decreui rursum id tibi per literas significare; vt qui precibus flecti hactenus nunquam potuisti, saltem importunitate flecterere; & litteratorum, grauissimorumque virorum iudicio perspecto, quam christianæ Reipublicæ inferas iniuriam; quamue tibi ipsi pœnam promerearis, facile intelligas; caue enim Ludouice, ne cum Iudex rationem cum seruis suis positurus redierit, & tortoribus cruciandum tradat, veluti socordia à bono opere torpentem; an censes perperam Paulum dixisse, Dominum quosdam Apostolos, quosdam Episcopos, quosdam Doctores in Ecclesia posuisse? hoscene Prophetam illum asperius obiurgare, canes non valentes latrare appellando? scio sanè te Paulum profiteri, at ille sine inuidia quod didicerat, communicabat, tu vero doctrinæ lucernam sub modio reponis, ignaros autem ignorantiæ tenebris circumseptos deseris, nec est, quod vulgi verearis iudicium, cum nullum in vulgo, Ex Cleantis sententia, esse possit: tu proferas de thesauro tuo noua, & vetera, obtrectantiumq; voculas, veluti Sirenarum cantus, surda aure pertransi. adde, quod Amplissimo Cardinali Perusino, cui plurimum tu, & ego debemus, per-

gra-

gratum feceris, si, quod ipse cum huius Ecclesiæ gubernacula summa cum sapientia, & religione regebat, docuit, & experientia comprobauit, tu rationibus, & grauissimorum patruum testimonio confirmaueris, audiui enim illum hac de re interdum grauiter disputantem, & in hanc curam enixè incumbentem, vt contrariam opinionem, veluti falsam, & perniciosam prorsus aboleret, & proinde antiquissimorum cõciliorum institutis inhærens, eos à communione arcendos decreuit, qui inimico petenti, pacis indicia denegabant, tametsi pacatos, & compositos se habere animos asseuerarent, neque vero parui facienda est D. Thomæ Aquinatis doctoris grauissimi dignitas, cui plurimum adimere ij mihi videntur, qui prædictam opinionem illi adscribunt; cum plurimis in locis secus sentisse se doceat; quod tu eleganter, & peracute demonstras. Hæc ad te æstiuis hisce diebus libenter scripsi; nam cum publicè interpretandi onere deposito, ruri vitam traducas, poteris quam facillime votis meis annuere. hoc sanè maximo beneficio me tibi in perpetuum deuinxeris, nihil enim optatius, nihil iucundius accidere mihi poterit, quam si Ciuitas hæc nostra, & christiana religio id muneris, abs te mea opera impetrasse se intellexerit. Cura, vt valeas, seminarii iuuenes omnes salutem tibi plurimam reditumque tuum mirificè exoptant.

MAGISTRI NICOLAI
ALEXII PERVSINI
INQVISITORIS

In laudem libri exaſticon.

AVREA pax, quæ cuncta ligat, quę cuncta gubernat
Omnibus eſt merito, rite colenda modis.
Sed tamẽ hãc quandoq; fugat truculẽta ſimultas;
Ex qua ſeditio, iurgia, bella, fluunt.
Fert Ludouicus opem in docto, lepidoq; libello,
Diſcordes animos conciliarẽ docens.

Eiuſdem Endecaſyllabum.

Offenſos videas manere duros
Nec mites fieri, niſi per vltos
Non nulli reputant ſatis ſuperque,
Si ponant odii latens venenum:
Sed præbere foris negant neceſſe
Pacem, quam cupiat reus, petatq;.
Errores reprobat libellus iſtos,
Oſtenditq; vias, quibus redire
Offenſi in veterem queant amorem.
Hunc fac lector emas precor libellum,
Theſaurum exiguo parabis ære,
Vt fias locuples, ſimul beatus.

IOAN-

IOANNES PAVLVS
Lancelottus Iur. Conf. Perusinus.

LAEsus ab immiti quicunq; pepercerit hoste
Et miserens inopi vina, cibumq; dabit; Rom. 12.
In caput illius carbones congeret, vnde
Liuor ab ardenti victus amore cadet.
Congerere hos Carbo carbones edocet, vt cum
Supposito feruens ignis ab igne micat.
Si cinis ergo cupis molli candescere flamma, Gen. 12.
Carbonem hunc imi pectoris abde foco.

Idem.

Fossor thesaurum quæritans
Sæpe illum inuentum dum putat
Falsus carbones inuenit
Et Dijs iratus irritas
Spes, & se credulum increpat.
Nunc contra lector candide
Et fortunate euenerit;
Nam si Carbonem quærites
Thesaurum vere inueneris
Diuisq; grates egeris
Tam grandi lætus munere.

ANTONIVS TIMOTHEVS
Theologus Perusinus.

VT varias nectens species concordia mundum
Efficit, & certo fœdere vincit amor.
Sic animos hominis iungit pax, hanc fouet ignis
Quem Deus huc venit mittere factus homo.

Excitat hunc ardens Carbo, quo concita flamma
Incendat mundum: nam iubet hoc dominus.

Idem.

IGnis ab iniurijs circum præcordia feruet
Ira, cælestis vrit & ignis amor.
Hoc Carbone latent ambo, mirabile dictu.
Crescere qui debuit ignis ab igne perit.

ALEX. VENC. PERVS.

IGnea corda algent Carbone hoc, frigida flagrãt
Quam sacer humano distat ab igne focus?

Idem.

Aut miraculum id est naturæ, aut vertitur ordo,
Carbo ardens ignem non dedit, at rapuit.

ANTONII BONCIARII
πϱοσωποποιία. liber loquitur.

EXtinctorem odii quò me per tela, per hostes
Truditis, & nullo cingitis ense latus?
Hei mihi: Pacifero quis non insultet inermi?
Turba fremunt otii nescia, miles, eques:
Meq; vel igne parant, vel crudo absumere ferro.
Atq; impunè ferent. Ah miser: Ecquid eam?
Eia, animose liber, cunctis te sedulus offer;
Et tumidas Equitum ne vereare minas.
Nam dedit armipotens inuictam in prælia dextrã
Sermo Dei, gladio fortior ancipiti,
Quo tu stipatus placido dominaberis Orbi:
Nullus erit rixæ dissidioque locus.


SVMPTVM
PRIVILEGII.



SANCTISSIMI Domini, Domini nostri GREGORII XIII. diuina prouidẽtia Pontificis maximi priuilegio cautum est, ne quis tam in Italia quàm extra Italiam cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis sit, libros de Pacificatione & inimicorum dilectione, iniuriæque tolerantia, & remissione cum appendice de Amore & concordia Fratrũ vnà vel sine additionibus, vel eorum aliquam partem, seu aliquod earum rerum in eis contentarum simul vel separatim, sine expressa licentia Bartholomæi Sermartellij Florentini calcographi, aut eius hęredum, intra proximum decennium à die quo impressi fuerint imprimere, vel imprimi facere, nec venalem habere, & retinere posſit, sub pœna excommunicationis latę sententię, Quingentorumq́;

†† 2 duca-


ducatorum auri de camera, & librorum amiſsionis, alijsq́; pœnis in Breue eiuſdem Sanctiſsimi Domini noſtri expreſsis. Datum Romæ Apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die primo Auguſti. MDLXXXII. Pontificatus ſui anno decimo.



CAPITA RERVM,
quæ hoc opere continentur.

boni,

Iniu-



DE PACIFICATIONE, DILECTIONE INIMICORVM, INIVRIARVMQVE REMISSIONE;

CVM APENDICE

De Amore & Concordia fraterna.

Auctore Ludouico Carbone à Costaciario Sacrę Theologię in almo Gymnasio Perusino publico professore.

De causis, vtilitate, & diuisione suscepti operis. Cap. I.



A est, de sententia omnium eorum, qui de republica aliquid scripserunt, ciuitatis, ac etiam totius humani generis politica beatitudo; vt cum pace, & religione viuatur. Propterea cum hisce rebus humanis nihil magis perniciosum accidere posit, quàm quod suo fine priuentur; tunc pessime cum republica agetur, quando pace, ac religione fuerit orbata. Quam ob rem omnes conatus, consilia omnia boni ciuis, qui nihil aliud est, quàm vir bonus reipublicæ vtilis, eò referri debent,

Arist. 7. Pol. Augu. steuc. l. x. de per. philos. cap. vlt.

qñ male cũ rep. agatur.

Franciscus Pauit. l. 2. de rep. t. 2.

vt

vt animorum consensio, ac diuinus cultus in humano cœtu retineantur, ac conseruentur. Verum cum nihil sit, quod æquè ista bona funditus euertat, ac discordiæ, iniuriæ, & inimicitiæ, quibus nulla ciuitas, nullum oppidum, nulla domus non scatet; necessarium professò esse videtur, vt quisq; eo meliori, quo potest modo, aut re, aut scriptis huic cōmuni morbo medicinam faciat.

Omnia dissensionum plena.

Ad hoc officium reipublicæ præstandum nos hortatus est regius propheta, cum cecinit. Rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem.

Dauid psal. 121.

In gloriam igitur præpotentis Dei, & ad eius cultum, qui fons, & finis ciuilis felicitatis est, in rep. conseruandum, hunc in primis laborem suscepisse volo. Iam verò hæc etiam fuit suscepti operis ratio, vt pro pace, & concordia retinenda, discordiaq; tollenda, qua non parum religio labefactari solet, aliqua disputaremus. Insuper cum discordia, & inimicitia in remp. inuaserint, non per difficile est iniuria affectos, odioq; infectos, ad odij effusionem inducere: at verò haud facile eis illud persuadetur, vt effusi odij & amoris requisita signa exhibere velint. Etenim sub quadam iustitię specie illa se negare aiunt, vt suum scilicet iustitia habeat locum. Vt igitur hanc erroris labem, qua multi (vti experientia docet) aspersi sunt, ab hominum animis deleamus, alia fuit huius laboris suscipiendi causa. Ad hæc cum non defue-

Pri. ratio suscepti operis.

Secunda ratio

Tertia ratio

Quarta ratio

desuerint, qui in perniciem reip. deteſtandę monomachiæ, leges ſcripſerint, & modos vlciſcendarum iniuriarum iniquos edocuerint; nec deeſſe debuit, qui de mutua gratia inter inimicos concilianda, & odio reſtinguendo, iuxta religionem pręcepta traderet. Poſtremo, cum ij, qui ex officio, vel ex charitate in hoc præſtantiſsimo munere pacificatorio verſantur, interdum ignorent, quid rationi, & Chriſtianæ philoſophiæ conſentaneum ſit, ne quid in re magni momenti peccent, expedire videbatur, vt aliqua extaret tractatio, in qua quid dici ſuper re grauiſsima ſecundum religionem poſſet, contineretur. Et licèt hanc prouinciam in eum potiſſimum finem ſuſceperimus, vt demonſtremus homines iniuria affectos. nō ſolum obligatos eſſe ad deponendum odium, ſed etiam ad danda ſigna interioris beneuolentiæ, & ſedatæ indignationis, de quo magna & ardua quęſtio eſt: tamen alia multa in hac tractatione, veluti de natura iniuriæ, honoris, pacis, de amandis inimicis, de ſatisfactionibus dandis offenſo, afferentur; quòd ad rem, quam præcipuè tractamus, iſta non nihil facere videntur: ſine quibus facile hęc tractatio mutilata videri poſſet: tum etiam quod ſine cognitione earum rerū, quæ fortaſſe cuipiam ab inſtituto videbuntur alienæ, non ſatis bene componendarum diſſenſionum munus exerceretur: Poſtremo, quia multæ du-

quinta ratio

Cur de variis rebus hic agendū ſit.

Pri. ratio.

Secunda ratio

Tertia ratio.

bitationes, & aduerſariorum argumẽta, quę in calce operis afferentur, ſine his non facile explicarentur. Illud præterea monitos eſſe volo candidos lectores, multa ſtrictim, breuiterq; me eſſe dicturum, quæ aliàs longiori diſputatione diſcutienda eſſent: tum quia nõ omnino in hunc locum cadunt: tum etiam ne libellus in volumen excreſcat: adde, vt planius, & purius omnia, quę dicam, tradantur.

Admonitio

Perſius.

Non equidem hoc ſtudeo, bullatis vt mihi nugis
Pagina turgeſcat.

Altera admonitio.

Hoc etiam monendum eſſe lectorem exiſtimaui; cum rem hanc latius, quàm ante hac alius (quod ſciam) fecerit, explicaturus ſim; ſi quid à me offenſum fuerit facile patiar, vt alij mea refellant, & veriora afferant. Nec parum mihi feciſſe videbor, ſi inueniendæ veritatis occaſionem præbuero. Quare tantum abeſt, vt ſcribi contra ea, quæ dixero nolim, vt cum D. Auguſtino, & Cicerone maxime deſiderem: modo non tam meam opinionem, quàm falſitatem ipſam, quam nunquam me ſequi velle intendo, impugnare propoſitum habeant. Eruitur enim, ac viget contentionibus veritas. Et quis eſt tam inuidus hominibus, qui ingenij eorum fœcunditatem reſecare, aut tam inimicus Deo, qui, ne alij ipſum elucident, prohibere velit? Illud tamen mihi conandum omnino erit, ne quid in medium afferam, quod docti alicuius viri auctoritate non ſit munitum. Eſt

Aug. ep. ad Fortun. d. Cicero

Veritas contentione eruitur.

Cuilibet cõcedendum eſſe vt veritatem venetur

Vinc. Lirenẽ. lib. 9. hęteles.

enim

enim christianæ modestiæ,& grauitatis,non tam sua posteris tradere, quàm a maioribus accepta seruare. Quare nemo mihi vitio vertat, si in rebus, quæ ad actionem vitæ pertinent explicandis, quibus confirmandis plurimum valet scribentium auctoritas,aliquando plures, & inferioris notæ scriptores,a me citabuntur; quorum sæpe nomina, ne cursus orationis locorum citatorum interpositione impediatur, in marginibus adscribentur. Licèt ergo in aliorum reprehensionem incidere reformidem: tamen dum mundus prodit, quæ sua sunt in hac re, scilicet errores, & dogmata falsa; interim, vt Rustici diaconi consilium sequar, occultare non debeo, quod mihi commissum est talentum: ne dominus veniens,propriæ pecuniæ requirat vsuram. Quare non adeo obtrectatores extimesco, vt Hippasi pythagorei, & Pyrrhi sententiam sequens, nihil literis mandare velim. Et quamuis nesciam quid auxilij reip. hæc scribendo afferre posim: tamen nec noui,quin aliquid sim allaturus. Quod autem hæc nostra tractatio aliquam vtilitatem possit afferre, constat in primis ex causis superius recensitis, quæ ad eam conficiendam me excitarunt. Deinde quia multi errores in quibus, his temporibus, circa materiam de iniurijs, & inimicorum dilectione homines versantur, damnabuntur. Preterea quoniam regulę pernecessarię ad pacificationes facien-

Vincentius Lirenensis Christiani scriptoris munus.

Auctoritas doctorum, vbi plurimũ valeat.

Rusticus diaconus.

Talentum non celandum.

qui noluerint aliquid scribere.

De operis vtilitate.

das, ad satisfaciendum pro illatis iniurijs, tradentur. Postremo vt cæteras vtilitates omittamus, locos indicabimus, quibus ad iniurias ferendas, & condonandas, ad diligendos inimicos, & pacem amplexandam homines excitari poterunt. Etenim non tam propositum est nobis hęc oratorio modo tractare, quàm locos indicare, quos concionatores, & pacificatores amplificare queant. Quare ea tantùm ratione nos ista attingemus, quæ ab eo, qui potissimum regulam, ac modum pręscribere velit, tractari debent. Erit itaq; hęc lucubratio non inutilis concionatoribus, curam animarum gerentibus, remp. administrantibus, ac speciatim ijs, qui in conciliandis iratis animis, quod munus omnium ferè est hominum, occupantur. Deniq; togatis, armatisq; viris, ex ea aliquam vtilitatem capere licebit. Erit hæc tractatio in quatuor potissimum distributa partes. In priori explicabuntur quarundam rerum essentiæ, veluti iniuriæ, honoris, famæ, pacis, quarum explicationes erunt quasi totius operis fundamentum. In proxima veritates de diligendis inimicis, pace facienda, dandis signis remissæ iniuriæ, & damnis resarciendis statuentur, quæ pars erit, veluti huius ædificij parietes. In tertia excitabuntur homines ad perferendas, & condonandas iniurias, & inimicos diligendos: quæ pars erit veluti huius substructionis tectum, & complementum.

Auctoris intentio.

quibus sit futurum vtile

Partitio operis.

Et ne quid huic operi obesse posit, argumenta grauiora, quę contra ea, quæ hoc opere potissimum docere volumus, afferri possunt, in quarta huius tractationis parte dissoluentur. Nunc diuino inuocato auxilio, quod initio cuiuscunque operis, etiam profani scriptores inuocandum esse docuerunt, de natura iniuriæ, quæ odij, & inimicitiæ causa esse consueuit, disputare ingrediamur.

Inuocatio, Xenophon in œcon. Plat. in Tim. ep. 7.

De iniuria, de Aristotelis & aliorum sententia. *Cap. 2.*

PLACVIT semper mihi Diui Iustini martyris regula quædam: quę ijs, qui docere aliquid, aut scriptis committere volunt, oppidò est necessaria. Oportet, inquit, eum qui dubitationem aliquam enodare voluerit, ex quibusdam præcognitis, & perspectis conficere solutionem. Cum autem nihil magis ad dubitationes explicandas conferat, quàm si accurate eius rei, qua de instituta est disputatio, natura euoluatur; magnum enim momentum ad ea quæ sequuntur, ait Aristoteles, definitio habet: Propterea antequam ad quæstionum explicationem accedamus, earum rerum naturæ explicandæ sunt, ex quarum cognitione dubitationes finiri poterunt: Ab iniurię verò definitione capere exordium volumus: tum quia de ea præcipua mentio erit in tota hac tractione habenda:

Iust. martir. resp. 146. ad orthod.

Regula necessaria doctoribus.

quid valeat ad dissoluendas dubitationes.

Arist. Cic.

Definitio medium ad dissoluēda quęstiones.

Ambr. ad Rom. I principio.

Cur pr. agēdum de iniuria.

benda: tum quia cognita morbi cauſa, vnde omnis emanat ægritudo, facilius medicina fiet. Et, vt à nominis notatione, quam eſſe principium cognitionis aiebat Socrates, ordiamur; iniuria ex eo dicta eſt, vt Vlpiano placet, quod non iure fiat. Et iniuria affectus dicetur is, qui contra ius eſt læſus. Ex quibus apparet, omne illud quod contra ius fit, iniuriam dici poſſe: & ita, ſi generatim ſumatur, complectetur omnem actionem iniuſtam. Speciatim vero ſumpta, idem valet, quod læſio, ſeu offenſio, & contumelia, ſiue deſpicatus; quibus modis potiſsimum a nobis vſurpabitur. Vt autem quid iniuria ſit exponatur, conditiones, quæ ad eam conficiendam requiruntur: tum ex parte inferentis, tum offenſi, tum operis, quo infertur, explicandæ ſunt. Si de inferente loquamur, requiritur in primis, vt ſciens & prudens officiat. Ignorantia .n. modo ſit ea, quæ vitio dari non poteſt, efficit non voluntarium. Quare ſi quis aliquid diceret, aut faceret, & neſciret, illud iniurioſum eſſe, iniuriam feciſſe, cum ex ignoratione agat, non cenſeretur. Præterea requiritur, vt ſponte inferatur nocumentum. Si enim quis coactus quempiam læderet, iniurius exiſtimari minime deberet: vt ſi quis manu mea, me inuito, aliquem percuteret. Iam vero, vt actio ſit iniurioſa, debet à voluntate, & electione proficiſci. Quare ſi quis vehementi perturbatione pulſus,

Socrates.
Vlpian. l. pr. ff. de iur. 14. q. 4 c. quid.
Iniuria vnde dicta.
Iniuriæ variæ ſignificationes.
Prima conditio ad faciendã iniuriam ex parte inferẽtis.
Greg. Nys. l. 5. phil. c. 2.
Secunda conditio.
Greg. Nys. l. 5. c. pr.
Tertia conditio.

lædat, cum non fuerit ſui compos, debet à crimine iniuriæ liberari. Deinde debet habere intentionem offendendi, & paruipendendi, dum aliquid dicit, aut facit; vnde oriri iniuria videtur; quia ſi ioco faciat, etiã ſi ex electione faciat, non erit iniurioſus. Quantum ad offenſum: primò debet eſſe is, qui ſit iniuriæ capax, vt inferius demonſtrabitur. Deinde debet eſſe certa perſona, aut certæ perſonę, ſi pluribus infertur. Cum enim quis in vniuerſum in vnum, aut in multos eſt contumelioſus, parui contumelia iſta facienda erit: vt præter cæteros Lancellottus Conradus adnotauit. Quo fit, vt ſi quis erraret circa perſonam, quam lædit, cum vnum alterius loco offendit, non deberet cenſeri iniuria. Ideo Archelaus, cum à quodam fuiſſet aqua inſperſus, irritatus aduerſus hominem ab amicis, dixit. At non me inſperſit, ſed illum potius, quem eſſe exiſtimauit. Pręterea requiritur ſcientia offenſi. Non enim cenſebitur ex ſe inhonoratus is, qui iniuriam ignorat illatam: licèt quantum in ſe fuit, offendens læſerit, vt poſtea dicetur. Poſtremo requiritur, vt præter voluntatem iniuria afficiatur. Læditur enim quis ſponte, ac iniuſta patitur: nullus tamen eſt, qui ſponte iniuria afficiatur, vt quinto Ethicor. docet Ariſtoteles. Quantum ad facta & dicta, quibus infertur iniuria, hæc conſideranda ſunt. Primò nec facta,

quarta.

Cõditiones ex parte offenſi.

Prima conditio.

Secunda.

Lancellott. c. 17. n. 17.

Poſſe. l. 2. de honore.

Philelp. l. 4.

Tertia conditio.

quarta.

Ariſtot.

quale debe at eſſe factũ aut dictũ ad hoc vt iniuria fiat.

Pri. cõditio. cta, nec verba ex se faciunt iniuriam, sed pendet ex intentione agentis, & patientis. Ratio est aperta; quia ista possunt reperiri absq; iniuria. Secunda. Secundò factum, aut dictum per modum castigationis, aut reprehensionis, si sit ab eo, ad quem ista officia pertinent, & vt ratio poscit, non parit iniuriam. Tertia. Tertiò vt factum, vel dictum censeatur iniuriosum, debet esse contra leges, & æquitatem. quarta. Quartò illud factum iniuriam gignit, quod continet paruipensionem, & neglectum; & illud verbum quod vitium obijcit, aut ignorantiam eius artis, quam quis profitetur, ac scire debet. Magis verba quàm facta sũt apta ad iniuriam faciendam. Denique magis verba quàm facta apta sunt ad iniuriam inferendam; quia verba palam defectum ostendunt: at facta latenter. quomodo in percussione, & facto contineatur iniuria. Nam factum supponit vitium, & culpam, & quasi duas propositiones. Verberatur enim quis, quia in vitio est. Ille flagris cæsus est. Erit ergo in vitio. Et ita qui vlciscuntur dicere solent. Ob hanc, vel illam causam te percutio. quando in facto sit maior iniuria. Videtur tamen in facto esse quid maius, quando & culpam aliquam ostendit, & contemptum continet, cũ ob hanc causam quis lædit. Aristotelis, Primo rhet. cap. 10. Ex his facile est intelligere definitiones Aristotelis, quibus Iniuriam facere quid. definiuit iniuriam facere, & pati. Sit ergo, inquit, iniuriari: sponte præter leges officere. Susius. l. 1. hanc defin. sequitur. In qua definitione tres particulas ad iniuriam conficiendam necessarias ponit. Aristotel. 5. Ethic. 9. Officere, sponte, præter leges. Et in quinto

Ethic.

Ethic. Iniuriam afficere: est sponte lædere scientem, & quem, & quo, & quomodo præter illius voluntatem. Vbi ponuntur aliæ particulæ, quæ respiciunt offensum. Ex quibus duobus locis integram conflare licèt definitionem. Solet.n.interdum Aristotiles particulas in aliqua definitione ponẽdas indicare,& ipsam definitionem alijs construendam relinquere; vt fecit 3. eth. c. 9. vbi de natura fortitudinis disputauit. Potest ergo ex his locis, sic iniuria, & iniuriam facere describi. Iniuriam facere, est sponte, & ex electione, contra leges alicui scienti, & inuito nocere. Aut Iniuria est nocumentum, ex electione contra leges, inuito illatum. Dicitur nocumentum, quia est lęsio quædam; sed tale nocumentum quod paruipensionem quandam importat, vt melius sequentibus capitibus dicetur. Dicitur ex electione, qua voce indicatur scientia, volũtarium, & deliberatio, ac intentio nocendi. Dicitur, contra leges, vt intelligamus omnes leges, & scriptas, & non scriptas, & vt excludatur defensio, quæ fit secundum leges, solent aliqui addere particulam, non lacessitas, vt demonstrent eum, qui lacessitus est, si lædat quempiam, non facere iniuriam. Verum non video, cur ista particula sit apponenda: cum is, qui lacessitus, se tuetur, non faciat contra leges; quandoquidem omnes leges defensionem concedunt. Non tamen lice-

Arist. mos.

Iniuriam facere quid.

Declaratio definitionis Nocumẽtũ.

Ex electione.

Cõtra leges

Defensio conceditur ab omni lege.

ret post acceptam iniuriam, iniuriam vlcisci, vt suo demonstrabitur loco. Postremo dicitur, inuito, & vt significetur, lęsum non debere ignorare nocumentum, aut illud velle. Scienti enim, & volenti non fit iniuria. Indicatur quoque hac particula, certa persona, quę inuitò patitur. Ex his intelligi licet, quid sit iniuriam pati, quod hoc modo descripsit Aristotiles. Iniuriam pati est cum à volentibus iniusta inferuntur. Et hęc de sententia Aristotelis dicta sint. Verum, cum res morales sint valde obscuræ, & incertę ita, vt earum naturę non facile enuclea ri posint; vt quid iniuria sit melius intelliga tur, quasdam aliorum scriptorum iniuriæ definitiones adscribere placuit. Iniuriari, ait Episcopus Cassertanus, est sponte, & cum electione, non lacessitum, detrimentum alicui inferre per se, vel per alium, præter eius voluntatem, & præter proportionem, & æquum, vel pręter leges, vel pręter virtutes & honestum. At Pigna, hoc modo. Est nocumentum factum ex electione, ab aliquo contra iustum: quod iustum vel est secundum leges vel secundum æquitatem. Debet esse hoc nocumentum ab alio: quia nemo facit sibi iniuriam. Gregorius Zucculus tractatione de honore, cum existimet honorem consistere in bona opinione, quam quis habet de aliquo, sic iniuriam describit. Iniuria est perturbatio opinionis natæ ex actio-

Scienti & volenti non fit iniuria. De reg. iuris l. 6. l. quāuis ff. de in ius vocand. l. cū donat. C. de donat.

Arist. 1. rhe. cap. 13.

Arist. 1. Eth. cap. 2.

Anton. Bei.

Io. papa Pigna. l. p. c. 8.

Gregor. Zucculus.

actionibus moralibus, vel ex præsumptione; facta ab aliquo attribuendo aliquid turpe, & ex se falsum, ac dubium apud alios. Cuius definitionis declarationem apud ipsum auctorem legere poterit. Quid igitur iniuria significet, quid ad eam conficiendam concurrat, quid iniuriam facere, & pati sit, hoc capite de philosophi, & aliorum scriptorum sententia diximus; Nunc ad explicandas iniuriæ partes, & modos aggrediamur.

De speciebus, & modis iniuriæ. Cap. 3.

MISERABILEM esse eum, qui iniustus est, aut mali quidquam habet, sapienter quinto libro de legibus asserebat Plato. Cum autem iniuriam facere maxima quędã iniustitia sit, maxime miserabiles esse eos, qui iniuriã faciunt, oportet: vt merito idem auctor alibi scripserit: iniuriam facere, esse μέγιστον τῶν κακῶν, idest, malorum maximum. Vt igitur mortales hanc maximam miseriam, & hoc maximum malum, quod latè serpit, vitare, aut si iam in illud inciderint, se ab eo liberare queant, rursus aliqua de iniuriã, præter ea quæ supra disputata sunt, vt clarius eius natura, & vis nobis innotescat, scribere curabimus. Dicemus itaque primo de eius partibus, de sententia Aristotelis, explicando clarius, & vberius, quæ ab ipso obscurius, & strictius scripta fuere,

Iniustus miserabilis.

Plato.

Plato. de rep.

quę dicenda sunt de iniuria.

fuere, & quod huc facit, quosdam iniuriæ modos, quos alij enumerare solent, adscribemus. Deinde, iniuriam de nostra sententia definire conabimur; ac aliqua de contumelia, & vitijs ei affinibus speciatim afferemus. Postea diligenter iniuriæ circunstantiæ numerabuntur. Demum, de actione iniuriarum differetur: quibus explicatis, melius poterimus iniuriam cognoscere, & vbi cognouerimus, vitare; quò tandem omnia quæ a nobis scribũtur spectant. Primùm ingrediendo, de philosophi sententia, tres sunt iniuriæ partes: scilicet καταφρόνησις. hoc est, despicatus, seu neglectus: ἐπηρεασμὸς, idest, vexatio, vel, vt aliqui vertunt, incommodatio, & ὕβρις, idest, contumelia. Quæ partes breuiter à nobis nunc declarandæ sunt. Despicatio, seu neglectio est, cum quis existimat, & iudicat aliquem nulla re dignum, & nullius prætij. Vt gratia exempli. Si quis alterius obliuisceretur nomen: si rationem eius non haberet, cum æqualium habeat: si illius dicta, & facta flocci-faceret: si denique ante domum contemptus gratia transiret. Et cum triplex sit neglectio apud Aristotelem, vt est videre libro quinto politico, de ea hic loquimur neglectione, qua singuli singulos paruipendunt, de qua libro secundo rhetorices cap. 2. idem meminit auctor. Incommodatio est cum quis vexat, aut impedit quempiam, ne ali-

Aristot. 2. rhet. cap. 2.

Despicatio & neglectio quid.

Aristotil. De qua neglectione sit hic sermo.

Aristo, l. 2. reht. cap. 2.

Incommodatio.

quod

quod bonum consequatur, ea scilicet de causa, quod putat nihil boni, aut mali, sibi illum quem vexat, posse afferre. Verbi causa. Si ego despiciens Petrum, ipsum impedirem, ne dignitatis gradum, aut aliquod aliud bonum obtineret, ob hanc causam; quia eius condicionis eum esse existimo, vt nihil mali ab eo timere, aut boni sperare debeam, incõmodatio erit. Contumelia autem est contemptus, quo quis offendit alium, despiciendo in illis rebus, vnde dedecoris, & turpitudinis macula, & dolor patiẽti sequitur: ita vt Contumelia speciatim inhonorationem gignat; quæ vt Senecæ placet a contemnendo est dicta. Huius inferendę duo sunt modi. Vel.n. quis eam infert, vt lætetur, & glorietur, quomodo iuuenes contumeliam facere consueuerunt: vel secundo, ob prauitatem, vt aliquid acquiratur vtilitatis, qua ratione senes, auaritia pulsi, contumeliosi esse solent. Vt vere de auaritia Propertius scripserit.

Cõtumelia.

Cõtumelia vnde dicta.

Duo modi faciendi cõtumeliam.

Senes cur iniuriã faciãt.

Prop. l. 3. eleg. 7.

Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes
Semina curarum, de capite orta tuo.

Auaritia origo vitiorũ.

Quo fit, vt magis contumeliosi dicantur iuuenes, quàm senes, cum illi propositam habeant honoris violationem, hi vero quæstũ. Si quis, quosdam modos, quibus iniuria fieri solet cognoscere cupit, legat philosophũ in quinto politico, capite decimo. Omnes hæ species conueniunt in hoc, quod sint ne-

Iuuenes magis cõtumeliosi quam senes.

Aristotel.

Genus specierum enumeratarum.

gle-

glectus quidam, & despicatio, qui neglectus interdum sumitur pro vna parte iniuriæ, quo pacto sæpe nomen generis speciei aptari solet. Ceterùm distinctionis gratia: genus appelletur paruipensio, partes vero nuncupentur: neglectus, incommodatio, contumelia. Quod hæ sint iniuriæ species, sic probatur. Primo, quia officere alicui in illis rebus, vnde sequitur turpitudo; vel impedire ne quis cõsequatur aliquid; vel negligere præter æquitatem & iustum, non est sine lęsione iniusta,& significatione aliqua paruipensionis. Quare hi modi agendi non carebunt iniuria. Adde secundo; qui his modis officit alicui,illum quantum in se est excitat ad iram, & vindictam. Sed ista sunt effectus iniuriæ. Ergo qui sic se gerit faciet iniuriam. Nam iniuria affici,est negligi,& neglectus causat iram,quę iniuriam sequitur. Quod autem hi tres modi specie inter se differant, probari primo potest ex his, quæ docet Aristoteles in rhetorica, & in ethicis. Præterea hæc veritas sic confirmatur. Paruipensio cum læsione honoris ob delectationem, vel lucrum distinguuntur a neglectu, in quo ista non reperiuntur, vt patet, si quis alterius nomen solum obliuisceretur. Ab incommodatione etiam secernitur, quia nihil sibi quærit ille, qui incommodat. Neglectus quoque ab alijs discrepat speciebus, quia nec inhonorationem, neque incommodum

Arist. 1. top. cap. 4.

quod species enumeratæ continentur sub iniuria.

Prima ratio

Seconda ratio.

Ira sequitur iniuriam.

Modos quibus iniuria fit speciedifferre.

Aristotel. 1. Rhet. c. 5. 5. Eth c. 5.

Prima ratio

Secunda ratio.

commodum alterius intendit, ſed tantùm deſpicit: vt ſi quis non honoraret eum nulla de cauſa id agendo niſi quia paruipendit, quem prius honorabat. Ex quibus iam apparet, incommodationem ab aliis ſpeciebus eſſe ſeiunctam. Cæterùm poſſet fortaſſe aliquis, contumeliam, quæ habet pro fine lucrum cum inhonoratione, facere ſpeciem diſtinctam, aut modum diſtinctum ab eo, qui eſt propter delectationē, aut certe reuocari poſſet ad incommodationem. Ex his explicationibus facile quiſque deſcriptiones harum ſpecierum iniuriæ, de ſententia philoſophi, colligere poterit. Conſtat etiam contumeliam maxime attingere naturam iniuriȩ, cum in hac ſit maior læſio, & ſignificatio contemptus, quod apertius honore priuet. Et hȩ vidētur eſſe verȩ ſpecies iniuriæ, quas multi, qui de iniuriis diſputarunt non aduertentes, loco harum, ſolum quoſdam modos extraneos iniuriæ enumerant, quos etiam nos afferētes alias iniuriȩ partitiones breuiter attingemus. Poteſt ergo iniuria primo diuidi ex parte operationis, qua fit, & tunc altera erit quæ in agendo conſiſtit: altera in non agendo; vt ſi quis negaret reuerentiam, quam erga aliquem deberet exhibere, diceretur iniuriam facere, dum reuerentiam negat: vt ſit altera poſitiua, altera negatiua iniuria. Diuidi deinde poteſt ex parte perſonarum quibus fit: & tunc altera erit, quæ fit creatori:

Notandum.

Cōtumelia maxime attingit naturam iniuriæ

Aliȩ iniuriȩ diuiſiones. Prima ex parte actionis.

Secunda diuiſio ex parte perſonarum.

tori: altera quæ fit creaturæ rationis participi, vel rei rationis experti, quatenus ad creaturam rationis capacem refertur. Rebus.n. quæ ratione carent ex se, non fit iniuria. Hæc in duas partes secatur: altera est priuata: altera publica. Priuata item, altera est in nostram personam; altera in personam nobis coniunctam, vt in affines, seruos, & in eos, à quibus instituti sumus, à quorum existimatione nostra quoque dependet existimatio. Rursus diuidi potest ratione bonorum in quibus infertur, & ita alia est, quæ infertur in bonis animi; alia in bonis corporis; alia in bonis fortunæ. Item ratione magnitudinis: alia est parua vt quæ fit toruo aspectu tantùm: alia maior, quæ fit verbis: alia maxima, quæ fit verbis, & verberibus, legendus est philosophus in rhet. vbi aliquot modos maioris, & minoris iniuriæ enumerat. Maior iniuria dicitur, quæ ex maiori iniquitate oritur: illa quæ maius nocumentum infert: quæ non habet parem pœnam: quæ in beneuolum fit: & illa etiam esset maior, quæ funditus honorem tolleret, quàm quæ tantùm perturbaret. Erit autem munus iudicis cognoscere, quæ fit maior, vel minor, vt Alexander docuit; qui debebit diligenter circunstantias considerare, vt Abbas cap. I. de maled. tradit. Ad hæc; alia est, quę fit nutibus, & gestu corporis: alia verbis: alia percussione. Demum altera est vera

Res, quæ ratione caret non sunt capaces iniuriæ.

Subdiuisiones Arist. 1. Rhet.

Tertia diuisio ex parte rerũ in quibus fit.

Quarta diuisio ratione quantitatis.

Arist. 1. rhe. cap. 14.

Quibus modis vna iniuria dicatur maior altera

Menocchius legendus

Iudicis est cognoscere quæ sit maior iniuria.

Alexand.

Abbat.

Quinta diuisio ex parte modi.

Sexta diuisio.

iniuria, & est illa, quæ habet omnes conditiones requisitas quantum ad causas, & circunstantias; altera non vera, & est illa, cui abest aliquid ad veram iniuriam necessarium, quæ potest appellari imperfecta, sicuti prior perfecta. Sed quoniam alij modi inferendæ iniuriæ possunt à circunstantiarum cognitione, de quibus postea dicemus, sumi, eos omittentes, cum de natura iniuriæ, & eius partibus, & modis ex aliorum sententia hucusq; disputauerimus, iterum de eadem iniuriæ natura secundum nostram sententiam sequenti capite, iuxta positum ordinem paucis disseramus. Vnde possũt sumi aliæ diuisiones.

Nouè definitur iniuria, & de ea, quæ verbis fit. Cap. 4.

SI QVIS apud veteres, aliter à consueta ratione epulas suo ingenio parare ausus esset, tanquam δειπνοσοφιστὸς, hoc est, cœnæ corruptor, vt libro quinto scribit Athenæus, male audiebat. Athenęus. Idem fortasse mihi in præsentia cõtinget; si aliter quã alij fecerint, iniuriam definire voluero. Verum hoc idcirco facere audebo, quod videam aliorum descriptiones non omnino perfectas, & suis numeris absolutas esse. Adde etiam, quod cum actiones vitæ, obscuræ, & variæ sint; eas vt non facile est definire, ita varijs modis describere licet. Vt autem quod volumus per-

ficiamus, aliqua prænotare oportet. Primò aduertendum est; Iniuria, si strictim loqui volumus, & quatenus a nobis consideranda est, nihil aliud sonat, quàm despicationem, contemptum, paruipensionem, ex qua sequitur læsio quædam existimationis, & honoris: & ita iniuria honori, qui reuerentiam includit, erit opposita. Nam læsiones omnes, in quouis genere bonorum fiant, eatenus habent rationem iniuriæ, quatenus paruipensionem continent. Quare, qui frangeret ostium tuum, vt domum expilaret non vt te despiceret, non esset contumeliosus. Quo fit, vt sicut honor consistit in reuerentia, ita iniuria, in contemptu, & neglectu. Quare, si quis ad quandam similitudinem definitionis honoris, per particulas oppositas, iniuriam definiuerit, non inepte fecerit. Aduertendum est præterea; licèt iniuriæ natura, vt humana quædam actio est, ab inferentis, & accipientis animo pendeat: tamen eã seorsim considerare, & finire licebit, sicuti Aristoteles honorem finiuit, non interserendo in eius definitione, honorantis, & honorati conditiones. Considerandum est etiam: sicuti honoramus aliquem ob opinionem, quam habemus de excellẽtia, & virtute eius: ita etiam contemnimus, & paruipendimus aliquem ob opinionem quam habemus, aut habere indicamus de culpa, & vitio eius. Hinc nascitur, iniuriam includere in se rationem

Iniuria qd significet.

Iniuria honori opposita.

Iniuria consistit in contemptu.

Iniuria Includit rationem signi.

tionem signi, sicuti & honor, de quo postea dicetur. Manifestat enim iniuria alterius vitium, & paruipensionis opinionem indicat; sicuti reuerentia opinionem virtutis. Hæc autem manifestatio, potissimum fit verbis, quæ magis apta sunt ad significandum: factis tamen fieri potest, quatenus vicem verborũ gerunt. Hinc est, eum qui castigat aliquem, cuius curam gerit, non contemnere; cum huiusmodi factum, contemptum non significet. Rursus neque verba ex se contumeliam faciunt, cum ex sua natura non noceant, vel lædant, & propterea semper inspicienda erit dicentis intentio, cum ab intentione vera dependeat iniuria. Iniuria, inquit Maximus Tyrius ab inferentis oritur voluntate. Intentio vero, & scientia, vel ex ignorantia crassa, vel ex inconsideratione pendenda erit. Ex his colligere licet, quid sit iniuria. Primo, posset sic breuiter finiri. Iniuria est actio oligoriæ, seu paruipensionis. Vel secundo. Est signum paruipensionis. Vel tertio. Est signum paruipensionis, siue paruipensio, quæ erga aliquem adhibetur, ob opinionem, quæ de eius vitio habetur. Per vitium non solum intelligimus, id quod est contra honestum, sed omnia vitia etiam naturæ, & omnem defectum excellentiæ. Et nomine opinionis intelligimus quamcunq; existimationem. Cum autem inter alias species iniuriæ, vt ex dictis constat, contumelia ma

Verba magis apta ad significandum.

Iniuria pendet ab intẽtione.

Maximus Tyrius. Serm. 2.

Intentio quomodo consideranda.

Iniuriæ definitiones.

Declaratio.

xime iniuriæ naturam attingat, propterea de ea, atq; de alijs modis, quibus per verba iniuria fieri solet, ad maiorem iniuriæ explanationem, aliqua breuiter dicamus. Sunt autem isti modi: contumelia, detractio, susurratio, irrisio: qui & in aliquo conueniunt, & aliqua ratione discrepant. Conueniunt inprimis in hoc, quod præcipue in verbis consistunt, & si in factis reperiuntur, hoc eis accidit quatenus facta vicem gerunt verborũ. Conueniunt etiam, quod non modo sunt cõtra caritatem, sed etiam contra iustitiam quatenus hi modi faciendi iniuriam nos vel honore, vel fama, vel aliquo alio bono priuãt. Contumelia discrepat à detractione quod illa speciatim honorem lædit; hęc verò famã: quia illa reuerentiã, hæc bonã opinionẽ, quã in aliis posſidemus, tollit. Rursus, contumelia fit corã, detractio in absentia, & ita qui detrahit, cũ id occulte faciat, videtur, quodãmodo vereri eum, cui detrahit, vt sit detractor.

Quibus modis per verba fiat iniuria.

In quibus conueniant

Cõtumelia, & detractio quomodo differant.

Absentem qui lædit amicum.

Detractor quis. Hor. sa. 4. l. 1

Verum, vtraque & in absentia, & in præsentia fieri potest. Cum autem contumelia, quæ contraria est honori, qui coram exhibetur, consurgat; quando fit in absentia, debet fieri, vt quidam volunt, hoc animo, vt veniat ad notitiam eius, in quem fit, secus accidit in detractione, quia detractor vult latere. Potest autem honor, qui contumeliæ speciatim est oppositus, duobus modis ab aliquo auferri:

Detractor vult latere.

Variis modis fit contumelia.

altero

altero quidem, dum quis ea facit, aut dicit, propter quæ in causa est, vt cæteri aliquem non honorent: altero modo quando ipse per se non honorat: & hic secundus modus præcipue constituit vitium contumeliæ: & ita priori modo oblique, posteriori directe, fit iniuria. Item cõtumelia vt diximus, fit verbis & factis, quatenus tamen sunt indicia contẽptus, etiam si alias non læderent, vt si quis alterius imaginem conspurcaret. Rursus per contumeliam, vel manifestatur vitium moribus acquisitum; vel vitium à natura contractum, vel occultum, vel manifestum, & omnia hæc vitia alicui obijcere, est ex se contumeliam facere. Inter facta autem reperiuntur quædam, quæ nullam aliam habent significationem nisi despicationis: veluti, bucca oppedere aduersus aliquem: fictos vultus alicui detrahere: digitos turpiter implicare. Ad contumeliam referunt nonnulli conuicium, & improperium. Conuicium, vt Labeoni placet, sic dicitur, quasi conuocium a plurium vocum concursu, vel à vehementia vocis, qua conuicium fit. At Laurentio Vallæ, a con, & vitium; vel a conuito, quasi vitandum, vitari namque debet, dictum esse placet. Tunc fit conuicium, cum vitia naturæ, & ea quæ culpam non continent, alicui obijciuntur: quo modo Eliseo pueri conuiciabantur, cum aiebant. Ascende calue. Improperium tunc accidit, cum beneficia

Honor dupliciter potest auferri.

Cõtumelia quæ vitia manifestari soleant.

Facta quędã ex se contumeliosa.

Labeo l. item apud lab. ff. de iniur.

Laur. Val. l. 6. cap. 52.

Conuicium quãdo fiat.

4. Reg. 2.

in aliquem collata commemorantur. Vnde illud Terentianum. Isthæc commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficij. Et ita per improperium, indigentia, & defectus solent obijci, paruipensionis causa. Ex his colligere licet, conuicium, & improperium a contumelia, & inter se specie non differre. Similiter nec contumelia facta verbis ab ea quæ factis fit, specie differt. Verũ detractio specie discrepat a contumelia; quia habet pro scopo famæ diminutionem, at contumelia inhonorationem. Susurratio, est quædam maledictio quæ detractionem continet; sed fine discrepare videtur; quia susurro vitia narrat, vt seminet discordias: vt patet Ecclesiast. 28. prou. 26. & 6. quo loco ait Sapiens: Deum detestari hoc peccatum supra omnia peccata, quę ibi odiosa esse Deo dicuntur. Derisio quoque specie ab alijs differt, quoniam habet pro fine erubescentiam & verecundiam eius qui deridetur. Vult.n. derisor, cum quem deridet, erubescentia, & pudore affici. Et quamuis hi modi parui pendendi diuersi sint: tamen in vna, ac eadẽ actione possunt reperiri effectus istorum vitiorum. Nam dum quis alterius vitia manifestat, potest contumelia, & pudore afficere, famam infuscare, amicitiam dissoluere. Solet etiam inter hæc vitia enumerari maledictio, quæ si sumatur, vt sæpe apud sacras paginas sumi solet pro imprecatione mali, non ita

sapit

Terent. in And.

Improperiũ qñ fiat.

Cõtumelia, & detractio specie differunt.

Susurratio.

Susuronius finis.

Derisio.

Derisionis finis.

Maledictio

sapit naturam iniuriæ; si autem sumatur qua tenus laudi, & reuerentię opponitur idē erit, quod contumelia, & conuicium; & detractio. Vnde Cicero pro Cœlio: Maledictio nihil habet propositi, præter contumeliam. Aduertere hoc loco oportet, verba, quę aliàs nullam contumeliam continent, si non debito modo, & prudenter dicantur, contumeliosa fieri. Et ita ioci, & sales possunt contumeliam gignere, & tanquam scommata, quæ morsus sunt figurati, offendere, cum ab vrbanitate recedunt, ac propterea cauendum est, ne quis dum sales, & iocos adhibet, aliquid peccet. De hac re legendi sunt hi auctores. Macrobius libro septimo saturnalium cap. 3. Ioannes Casa in suo Galateo, & Io. Baptista Pigna in lib. de duello, Balthasar Castilioneus: quamuis hic auctor, nō facetiarum naturam, sed potius exempla facetiarum afferat. Quod si quis de me quærat, quę sit origo, & fons contumeliæ, vt eo cognito, eam vitare liceat; dicerem, de sententia D. Gregorii, contumeliam potissimum ex ira proficisci. Nam habet maximam affinitatem cum fine iræ, qui est vltio, & qui con[tu]meliam facit, se vlcisci facile arbitratur. Quare conandum erit, vt iræ adhibeantur remedia, si a contumelia abstinere volumus: de qua re, legi aliqua possunt apud Volateranum lib. 31. philologiæ. Inter alia remedia, illud satis præsentaneum est, quo sapientes

Cicero. Admonitio. Ioci, & sales caute adhibendi. Macrobius Ioan. Casa. Pigna Balthasar Castilion. Contumelię causa quę sit Greg. Iræ finis. De remediis iræ. Volateran. Plut. libell. de cohibend. ira. Seneca.

tes

tes sæpe vsi sunt, de quo sic lib. 8. Theba. scribit Statius.

Statius.

Ille monet: ne frena animo permitte calenti,
Da spacium, tenuemq; moram: male cuncta
ministrat impetus.

Quā graue peccatū cōtumelia.
Luc. 22.
Gal. 4.
Prælati quō contumelia vti possint.

Si quis interroget, quam grauia sint hæc vitia: responderem, ex se esse peccata lethalia; cum sint contra caritatem, & iustitiam. Et quamuis interdum qui alios regunt, vti contumelia erga subditos siue culpa posſint: tamen id non nisi perfectis concederem: quia non facile in calore iræ contumeliosa verba à caritate procedunt; à qua, si debent culpa vacare, promanent oportet. Sed multa, quę super hac re diceret quispiam, silentio inuoluo, & ad explicandas iniuriæ circunstantias, stylum conuerto.

De circunstantiis, & causis iniuriæ. Cap. 5.

Quę sit natura actionū humanarū.
Aristot.
Considera tio circunstantiarum iniurię vtilis.

EA EST humanarum actionum natura, vt quales illæ sint, non omnino bene perspiciatur, nisi suis vestitæ circunstantijs, quibus varijs modis afficiuntur, considerentur. Hinc est, quod Aristoteles quinto Ethico, vbi iniuriam descripsit, quasdam iniuriæ circunstantias simpliciter enumerauit, & integram alijs reliquit earum explicationē, quæ ad pacificandum, & ad iniuriæ naturam cognoscendam iuuare admodum potest. Vt igitur iniuria, quam superius nudam proposui-

posuimus, melius internoscatur, eandem rursus vestitam, de eius circunstantijs agentes, ob oculos legentium proponamus. In primis consideranda est persona, à qua profecta est iniuria: an ea sit, quæ contumeliam facere potuerit: an vir, an mulier: an adultus, an puer: an is, qui arma tractet, an Togatus homo: an clericus, an laicus. Conditio enim personę, non parum turpitudinis actioni addit, aut de eadem detrahit. Nec quælibet persona est apta ad faciendam iniuriam, sed illa, quę est fide digna, & quæ bene audit, ita vt posit opinionem bonam, quam quis in aliorum animis possidet, remouere, cum quilibet, dum contrarium non constat, habeatur bonus. Qui soleant iniuriam facere enumerantur ab Aristotele in Rhetorica, & hi sunt. Qui facultatē habent: qui cælare se posse arbitrātur: qui non putāt se daturos esse pœnas; aut si putant se daturos, minores tamen. Legendus est philosophi locus. Eadem erunt animaduertenda in eo, cui facta est iniuria: & pręterea videndū erit, an sit persona certa, an incerta, an sit capax iniuriæ, & quantū sit capax: an eius fama sit valde conspicua; an cognoscat, & reputet sibi factam esse iniuriā: an læsa fuerit in propria, an in sibi coniūcta persona, veluti in filijs, seruis: an in rebus externis, & in ijs, quæ aliquo modo ad læsum referuntur. Item, an in absentem, an in præsentem dictum fuerit conuicium.

Iniuria vestita quæ.

Circunstantia personæ inferētis

Quæ persona sit apta ad faciendā iniuriam.

Quilibet pręsumitur bonus.

Qui facere iniuriam soleant. 1. rhe. cap. 12.

Circunstantia personę, cui facta est iniuria.

Ex-

Qui sint quibus facile fit iniuria.

Expediet etiam ex eodem Aristotele cognoscere qui sint ij, quibus solet facilius fieri iniuria, cum magis vni, quàm alteri fiat: veluti negligentibus iniurias, & credulis; ijs, qui in alios sunt iniuriosi; verecũdis, & inimicis, & alijs, quos ibi recẽset philosophus. Inspiciendus quoq; erit modus inferendi: an ex cõposito, & deliberatione, & quanta; an verò casu, & temere, & non ex animo: si ex occasione data; an verò sine vlla occasione: si vi, aut fraude, an verò palam: si serio, & per contemptum; an ioco. Sed non præsumitur facta ioco, nisi id probetur præter confessionem inferentis: quando pręsertim conditio personæ, vel facti aliter indicaret. Censetur enim factum & dictum iniuriosum, per iniuriam dictum, vt Baldo, Saliceto, Beluisio, Felino, & alijs placet. Spectandus est quoque finis, & intentio, vnde humanæ actiones, laudis, & vituperationis plurimum capiunt. Quid deinde dictum, aut factum fuerit, considerandum est, an graue, an leue fuerit. Quo loco aduertere oportet, verba in vniuersum prolata, non facere iniuriam, nisi ob aliquam circunstantiam ad certam personam possint restringi. Si autem singulos qui adsunt attingerent, singulis facta censeretur iniuria. Vt si quis diceret. Omnes, qui hic adsunt, sunt ignorantes. Si autem non singuli, sed aliqui in confuso læderentur; vt si diceretur. Aliqui ex ijs, qui hic adsunt, sunt illi-

Circunstantia modi.

Iniuria non præsumitur facta ioco.

Baldus. Salicetus. Beluisius Fellinus.

Circunstantia finis.

Quid factũ, aut dictum fuerit.

Verba in vniuersum prolata qñ faciant aut nõ faciant iniuriam.

illiberales, quilibet existimet se esse exclusũ ab hac iniuria, & nihil contra se præsumat.

Verba quæ sint apta ad iniuriam.

Verba autem, vt iniuriam faciant, debent attribuere aliquam turpem operationem, aut turpem habitum, aut certè ignorantiam aliquam culpabilem earum rerum, quas aliquis scire est obligatus: vt est ignorantia artis, quam quis profitetur, & ignorantia regulæ bene viuendi; quam ignorantiam cuique dari posse vitio, recte dixit Auicenna. Rursus verba debent esse falsa, aut iniustè prolata, quorum falsitas, & iniustitia non sit ab eis cognita, apud quos dicuntur; quia tunc vim lędendi amitterent, quamuis paruipensione aliqua non carerent. Quare considerandum erit, an obiecta fuerint occulta, an manifesta vitia, an vera, an falsa, quibus verbis falsis posse fieri iniuriam, præter alios docuit Conradus: an vitia, quę fuerint vsu vitæ acquisita, an vero quę à natura inserta sunt, à quo modo iniuriæ faciendę abstinendum esse philosophus in Ethicis docuit: & hoc idem quidam canon apostolicus sub graui prohibet pœna. Si quis truncum, aut mutum, surdumue, aut cœcum, aut eum cui vitiosus incessus est, subsannauerit, communione priuetur. Huc pertinet cognitio earum rerum, in quibus solet fieri iniuria, quę enumerantur ab Aristotile loco citato. Huiusmodi sunt, quæ facile portantur, quę abscondi possunt, & ea, in quibus venia datur, & similia.

Quæ ignorãtia vitio detur.

Auicenna.

Iniuria fit etiam si vera dicantur.

Conradus Conc. 2.

Arist. 3. Eth.

Can apost. nu. 56.

Vitia à natura accepta, nõ sũt alicui obiicienda.

In quibus rebus fiat iniuria.

Deinde

Per quos sit facta.

Deinde videndum erit, per quos, & quibus facta est contumelia: si per se, vel per alium; qui si sit doli capax, & sponte faciat, ipse quoque iniuriæ reus erit: si solus, aut socijs stipatus. Et licèt impari conditione quis lędat, adhuc si is est, cui fides habeatur, iniuriam facit. Si facta sit, nutu, risu, minis, aut percussione: si toruo aspectu, quo etiam modo fieri contumeliam posse Demostenes existimauit: dicto, aut facto; tacito, vel expresso. Et denique; vt ait auctor ad Herenniũ; aut pulsatione corpus; aut conuicio aures; aut turpitudine vita violatur. Est etiã circunstantia loci attẽdenda: an publicus, an priuatus fuerit: an frequens, an solitarius. Postremo tẽpus quoq; spectandũ est: an eo tẽpore, quo erat amicus: an eo tpe, quo qui lęsit, habebat potestatẽ in læsum: vt si dux exercitus lęsisset aliquẽ militẽ, qñ sub eo merebat. An eo tpe quo aberat, aut aderat, q offensus est. Potest enim fieri absenti sicuti & præsenti iniuria, licèt aliqui id negent, differenter tamẽ. Quia si præsens non refellat; negando quod obijcitur, videbitur cõfirmare; quod de absente dici non poterit, cũ non dũ vitia sibi attributa esse cognouerit. Plurimũ etiã iuuare poterit ad cognoscendum quando facta fuerit iniuria, si quis humanarum actionum causas, quas recenset philosophus in rhetorica, non ignorabit. Sunt autem istę. Natura, violentia, seu coactio; casus, consuetudo;

Prou. 22. 5. q. 4. cap. in loco.

Demostenes.

Auctor ad Heren.

Circunstantia loci.

Circunstantia tẽporis.

Absenti potest fieri iniuria.

Arist. 1. rhe. cap. 10.

Quę sint causæ actionũ humanarũ.

appe-

appetitio rationalis, ira, & concupiſcentia. Multum.n.refert intelligere, à quànam cauſa ortum trahat iniuria. Cum autem dicimus caſu, aut fortuna aliquid fieri, non intelligimus per fortunam quandam Deam more ethnicorum, ſed id, quod philoſophi, & ſapientes intelligunt, & quod Philemon Comicus his verbis expreſsit. Philemon Comicus

Fortuna non eſt nobis vlla vſquam Dea,
Non eſt: ſed vnicuiq; quod euenit,
Caſuque fit, fortuna nobis dicitur.

Lege de hac re Natalem libro quarto, capite nono. Hoc caput, quod latius explicare libuit, has ſecum vtilitates affert. Primo, ex hac diligenti circunſtantiarum inueſtigatione, intelligitur quàm diligenter ſint attendendæ ab ijs, qui alios pacificare volunt. Nam cum ſint varij contumelię faciendæ modi, variæ etiam regulę ad diſſenſiones cōponendas adhibendæ ſunt. Secundo percipitur, quādo conciliatio facilis, aut difficilis ſit, pro modo illatæ iniurię. Tertio quando maiori, vel minori pęna iniurioſus ſit puniendus; q̄ pęna vt Ægidius Boſsius ſcripſit, eſt arbitraria; ſed rectum iudicis arbitriū à circunſtantiis pendet: ac etiam conſtat, quanta ſit adhibenda diligentia in pręfinienda ſatisfactione, quę pro iniquitate commiſſa danda eſt. Quarto colligitur, quando ex nocumento illato oriri poſsit actio iniuriarum contra ledentem, & quando oriri non poſsit, qui eſt effectus

Natales. Vtilitates quæ ex hoc cap. colliguntur. Menocchius. Aegid. Boſſ. tit. de iniur. nu. 30. Actio iniuriarum eſſe ctibus iniuriæ.

quidam

quidam illatę iniurię, de qua actione, demonstrata natura, & circunstantijs iniurię, quis, quem, quid, quomodo, cur, quibus, quando, & vbi, sequenti capite, debitum sequentes ordinem, disputabimus.

De actione iniuriarum. Cap. 6.

Iniuriarum remedium optimum.

NIHIL de grauissimorum hominũ sententia aptius, nihil accommodatius ad iniuriam illatam exterminandam reperitur, quàm si perpetua, atque ęterna obliuione deleatur. Hanc rem, vt modo mittamus cęteros, Publianus in mimis sic declarauit.

Publianus.

Iniuriarum remedium, est obliuio.

Sed quoniam hoc præclarum facinus, non à quouis, sed à celsis, erectisque animis, quorum exiguus est numerus, perpetrari solet; propterea cum bona pars eorum qui iniuriã accipiunt, contra iniuriosos agere consueuerit, de iniuriarum actione, quę, tanquam fœtus quidam, ex iniuria dimanat, aliqua disputanda sunt. Disseremus autem de hac rę in hunc modum. Primum, quid sit iniuriarum actio, & quomodo ex iniuria proficiscatur, docebitur. Postea explanabitur quotuplex sit; & quibus competat. Pręterea, quę inter priuatam, & publicam actionem sint differentiæ indicabitur. Postremo, ea quæ in illata iniuria considerare licet numerabuntur. Quantum ergo ad primum pertinet;

Quę hoc capite tractanda sint.

statim

ſtatim ac quis volens contra leges, dictis aut factis aliquem nolentem lęſerit, quædam exoritur iniquitas,& iniuſtitia,qua fit, vt Ariſtoteles ſcripſit, vt ille qui officit, plus habere videatur, & is qui lęſus eſt, minus. Hac genita iniuſtitia, offenſus; qui quodammodo minus habere videtur, ius quoddam habet, quo iure poteſt quod ſibi debetur repetere. Hoc ius actionem iniuriarum vocat.

Quando, & quomodo actio iniuriarum oriatur

Ariſt. in 1. Rhet.

Actio vero, vt eſt in libro quarto inſtitutionum,titulo de actionibus in principio, nihil aliud eſt; quàm ius proſequendi in iudicio, quod ſibi debetur. Quare actio iniuriarum erit ius agendi contra iniuriam facientem,vt pro illata iniuria faciat ſatis. Ex quo naſcitur, vt qui iniurioſe ſe geſſit, obligatus maneat non modo de iure ciuili, ſed etiam naturali, ad ſarciendam iuſtitiam,quam lacerauit vt de communi ſentētia affirmauit Albertus Bolognettus in ſuis commentarijs de verborum obligationibus. Quo loco optime refellit ſententiam quorundam iuriſperitorũ dicentiũ, propterea iniuriam inferentē obligari ad pœnas dandas, & ad ſatisfaciendum, quod viſus ſit cũ lege paciſci, pęnā ab eo luēdā eſſe,cum eũ deliquiſſe conſtabit. Neq; vt etiā illud obiter dicamus,ad hoc,vt iſta actio ex cōtumelia,aut conuicio naſcatur, neceſſe eſt,vt is qui læſus eſt,iniuriam in animũ reuocet,quaſi, ni in animũ reuocauerit, nulla exoriatur contra lędentem actio,vt aliqui falsò

Actio quid.

Actio iniuriarum quid

Obligatio duplex; naturalis, & ciuilis.

Alber. Bolog. c. 3. nu. 2.

Quorundam iuriſperit. opinio damnatur.

Opinio quorundam dānata.

C exiſti-

Acurtius
Nicas.
Aret.

Vlpian.
l. non solū §. 1. ff. eod.

locus declaratus.
Mysing.

Actio iniuriarum priuata.

Actio damni illati.

Ciuis reip. membrum.

Actio iniūriarum publica.

Iniuriam faciens ad qd sit obligatus

existimarunt. quos meritò refellunt Acurtius, Nicasius Aretinus in §. fin. Instit. de iniurijs. Et glos. l. si vnius §. pactus ff. de pactis. & l. si non conuicij C. eodem. Quare verba illa in §. fin. citato, quæ sunt Vlpiani: Ad animum non reuocauerit: intelligenda sunt, cum auctoribus citatis, & Mysingerio hoc modo: si dissimulatione nō aboleuerit. Quamobrem ex ipso iniurioso facto, aut dicto, ius agendi contra eum qui iniuriose se gerit, proficiscitur. Hoc autem ius potest esse duplex: alterum, quo potest intendere actionem in offendentem is, qui iniuriam perpessus est, vt sibi satis fiat, & honor, & fama ablata restituantur, & hæc propriè appellatur actio iniuriarum: alterum, quo pro damno illato (puta, quia fuit in causa, vt proprias pecunias impenderet, aut ne aliquid lucraretur) vrgere contra nocentem potest: & hæc actio damni dati solet vocari. Hinc titulus in sacris pontificum constitutionibus, de iniurijs, & damno dato. Cum autem minime contingat, vt quis aliquem iniuriose tractet, & rem ipsam publicam, cuius quiuis ciuis, quasi quoddam membrum existit, non offendat; propterea etiam iudex, qui reip. personam gerit, facultatem procedendi contra iniuriosum hominem habebit, vt ab eo, quod iustitiam legalem violauerit, pęnas sumat. Quapropter reus iniuriarum remanet obligatus ad satisfaciendum

ob

ob læsum honorem. & illatum damnum offenso, & ad luendas pœnas à lege statutas. Actio priuata, quæ læso competit, pertinet etiam, ac transit aliquando ad hæredes, & affinitate coniunctos, ad quos infamia, seu illatum dãnum redundauit: veluti actio filij ad parentes: actio clerici ad Ecclesiam, seu Episcopũ. Sed singulas personas recensere ad institutũ nostrum non pertinet. Legi possunt doctores superius citati, & speciatim Gofredus titulo de iniur. & dán. dat. Guil. Duran. Zabarella Clem. de pœnis cap. multorum. Hi duo modi procedendi, quorum alter priuatam vtilitatem præcipuè, alter publicam spectat, in eo differunt; quod qui priori modo agit, non potest ex se pœnas, aut vindictam sumere; sed solum iuxta leges à iudice iustitiam reposcere: at qui posteriori modo procedit, cum sit persona publica, per se punire facinorosum potest. Ex altera parte, priuatæ personæ licet ex se omnem actionem remittere, quod non licet publicæ: maxime si sit inferior iudex: neque etiam supremo, id pro libidine fas est, cum reipub. expediat, vt delicta puniantur, & leges seruentur: quod Solon elegia de legibus in postremis verbis, ita indicauit.

Actio priuata quibus competat.

Gofred. Guil. Dur. Zabar.

Differentia inter actionem priuatam & publicam.

l. ita vulnerat, ff. ad l. Aquil. Solon.

Denique vita hominum tranquilla, & honesta manebit,

Seruandi leges dum pia cura manet.

Hoc tunc maxime veritatem habet, cum ei

qui iniuriam, ac damnum acceperit fuerit satisfactum; si secus fiat, idem erit, ac de alienis bonis eleemosynam elargiri: ac proinde esset obligatus iudex ad restituendum. Verum vbi actor causam deseruerit, inferior iudex debet leges seruare, ac iuxta eas ferre sententiam, in eadem pœna, qua reus plectendus erat, ipse puniri voluerit, vt probatur l. Nulli C. ne sacrum baptisma. l. seruos C. ad legem Iuliam: licèt non semper eadem prorsus puniatur pœna, qua reus; vt Felinus & Hostiens voluere; sed cura id in lege exprimitur: secus dicendum esset de iudice superiori, qui ex causa in lege dispensare posset, vt suo loco demonstrabitur. Docent prætereà præfati doctores, iudices, sine causa pęnas minuentes, esse infames, quos tamen Alphonsus a Castro lib. 2. de l. pœnali cap. 13. refellit. Causas autem, ob quas minuere pœnas licet, enumerat glos. l. quid ergo §. pœna ff. de his, qui notantur infamia. Ex illata iniuria non modo oritur ius agendi, aduersus inferentem, sed sæpe etiam nascitur odiũ, quo lęsus lædentem prosequitur, quod etiã per signa externa demonstrari solet. Ex his omnibus colligitur, quę liceat animaduertere in omni iniuria. Primo, reperitur damnũ illatum in honore, & fama, ac in rebus externis proximi. Secundo, odium conflatum ex accepto nocumento, & paruipésione, & eius significatio aliqua per externa signa. Tertio,

Quid facere debeat inferior iudex, cum actor ab agendo desistit.

Iudex punitur cum leges non seruat.

Felinus Hostien.

Iudex superior in lege dispensat.

An iudex, sine causa pęnã minuens, sit infamis.

Alph. a Castro.

Causæ ob quas licet pœnas minuere.

Glos.

Tiraquel. tracta. de pęnis

Odiũ ex iniuria nascitur.

Quid in omni iniuria reperiatur.

Damnum.

Odium.

est ius agendi contra reum. Quarto, est obligatio ex parte nocentis, ad satisfaciendum personæ læsæ, & reip. in quibus explicandis, & declarandis, in reliquo opere potissimum versabimur. Cum ergo quid actio iniuriarum sit, qua ratione fiat, quæ eius partes, & partium differentiæ, quibus competat, quid ex parte offensi, & offendentis, & iudicis oriatur, dictum sit: sequitur, vt de natura honoris, quæ contraria est contumeliæ, vt iterum melius iniuria cognoscatur, dispiciamus. Ius agendi. Obligatio ad satisfaciendum. Anacephaleosis.

Notantur quædam, ad explicandam naturam honoris necessaria. Cap. 7.

QVANTA sit honoris præstantia, atq; excellentia, vel ex eo facile pespicitur, quod etiam obscurissimus quisque, ne dum nobili genere natus pro eo tãquam pro aris, & focis dimicare, ac vitam profundere sit paratus. Cui tantum ethnicorum superstitiosa tribuit religio, vt tanquam numen quoddam, & templis & diuinis honoribus colere non dubitauerit. Verùm tunc præclarè cum humano genere ageretur, quando tanto ardore virtutem honoris parentem, per quam ad verum, & solidum honorem aditus patet, homines adamarent. Propterea apud Romanos consule Marcello, religione cautum fuit, vt ad honoris templum nõ nisi per ędes Honoris magnitudo. Cicero. Aristot. Honor tanquam Deus cultus. Ad honorem non acceditur nisi per virtutem.

virtutis aditus pateret. Namque ἡ ἰσχὺς ἐςὶν προπύλαιον τῆς τιμῆς. Hoc est.

Achilles. Bocchius.

Virtus vestibulum est honoris alma.

Tunc etenim contingeret, vt nemini iniuria fieret, pax, & concordia illæsæ manerent, nec essent, qui pro falso, fucatoque honore inter se digladiarentur. Sed quoniam pauci sunt, qui sint vera virtute prædit i, & vulgò solam gloriam virtutis vmbram homines venantur: hinc est, vt homines virtute carentes pro ipsius vmbra sine ratione depugnent. Hac igitur in primis de causa, de honoris natura, vt doceamus quid sit verus honor, differendum est. Accedit etiam; quia cum honor ablatus sit restituendus hoc recte fieri non potest, nisi prius quid sit honor, intelligatur. Postremo ex hac disputatione adhuc melius iniurię natura manifestabitur. Et vt hoc planius efficiatur, aliquæ animaduersiones præmittendæ sunt, quibus ad obscuram honoris naturam penetrandam manuducamur. Aduertendum est itaque primo, omnia bonum appetere; quod nihil aliud est quàm perfectio quædam appetentis: ex quo fit, vt homo quoque bonum appetat; & maius bonum magis, cuiusmodi est bonum finis, propter quod bonum cætera expetuntur bona. Sunt autem duo bonorum genera, quorum sub altero bona interna; sub altero verò externa cõtinentur. Illa rursus, altera sunt, quæ dicuntur bona animi, vt sunt scientiæ, virtutes: altera,

Gloria virtutis vmbra.

Cur de honore agendum sit.

Omnia bonum appetunt 1. Eth. cap. 1.

Dyonys. Areop.

Bonũ quid sit.

Boni partitio.

Bona interna.

altera, quæ bona corporis, veluti ſanitas, pulchritudo appellantur. Sic etiam externa bona: altera ſunt quæ in animis aliorum poſsidemus, veluti bona fama, & opinio, ad quod genus reuerentia, gloria, laus reducuntur: altera, quæ in rebus ipſis, puta in diuitijs, auro, & lapillis continentur. Ex his bonis quædam ſunt, quæ ita in noſtra poteſtate ſita ſunt, vt à nobis verè ſine noſtra voluntate auferri non poſsint, vt ſunt virtutes, & mores: alia verò, quæ auferri queunt: vt dignitates, honores, diuitiæ. Item alia ſunt, quæ per nos ipſos proprijs laboribus acquirimus, vt virtutes, ſcientiæ, artes, quas per actus ſtudioſos, & vitæ candorem, & rectas operationes nobis comparamus: alia ſunt, quæ quadam fortuna nobis acquiruntur, vt bona corporis conſtitutio, ingenium viuidum. Rurſus ex his bonis aliqua nos ita perficiunt, vt nos efficiant verè bonos, cuiuſmodi ſunt habitus virtutis: alia ſunt, quæ non efficiunt nos ſimpliciter bonos, vt ſunt omnes aliæ perfectiones, & excellentiæ ſcientiarum, artium, dignitatum, honorum. Iterum bonum, aliud eſt honeſtum, quod eſt per ſe expetibile, vt eſt bonum virtutis: aliud eſt vtile, aliud delectabile, quæ duo poſteriora bona per ſe expeti recta ratione non poſſunt, ſed ad honeſtum referri debent. Denique bona opinio, qua homines de no-

Bona externa.

Alia boni partitio.

Alia boni diuiſio.

Alia boni partitio.

Alia boni partitio.

Bona existimatio, quæ de aliquo habetur est duplex. Arist. 1. rhe. cap.

bis bene sentiunt, ob aliquam excellentiam, quæ sit in nobis, duplex est: altera acquisita per proprias operationes virtutis. Excellenter enim agendo, gignimus in hominum animis bonam quandam existimationem de nobis, quam eudoxiam, hoc est, bonam famã Arist. vocauit: altera est pręsumpta; quando non ob operationes studiosas, quas edidérimus, homines existimant nos esse bonos; sed quia nihil turpe nos fecisse constat, censent nos esse in virtute: qua etiam pręsumptione (vt quibusdam placet) ij qui honoribus, potentia, & diuitijs abundant, veluti etiam, qui nobili loco nati sunt, studiosi esse censentur.

cap. final. de pręsumpt.

Differentia quędam inter duas opiniones.

Differunt hæ duæ opiniones, quod illa, quæ acquiritur, est diuturnior, & purior: altera verò facilius remouetur, ac perturbatur, & cum aliquo vitio non dum ab alijs cognito, esse potest.

Quomodo bõa opinio amittatur.

Hęc autem bona opinio amittitur in primis per proprias operationes vitiosas, sicuti ꝑ bonas acquiritur. Deinde per contumeliã & iniuriã illatã. Deinde per operationes turpes eorum, qui nos aliqua ratione attingũt; & maximè illa bona opinio, q̃ ex præsũptione oritur.

Quæ artes bonam famam lædere soleant.

Deinde per vsum alicuius artis, q̃ pro vili, & sordida, & libero homine indigna haberi solet: cuiusmodi sunt illæ, q̃ licèt ex se malæ non sint: tñ ab ijs exercentur, qui vt plurimũ male audiunt, vt caupones, & histriones. Quare, si q̃s aliàs posideret bonã opinionẽ, eam perturbaret

nonnihil

nõnihil, si ad eam artem exercendã se conuerteret, quæ pro honesta non habetur. Demũ perturbatur hæc bona opinio, si quis laboraret ignoratione earum rerum, quas ad ipsum pertinet scire. Ex his patet, contrarijs rationibus, & modis bonam opinionem acquiri, & conseruari. Aduertendum est secundo loco, ea quæ in nobis reperiuntur bona, esse participationes quasdam diuinarum perfectionum, quę a Deo in nos, tanquam riuuli à quodam fonte promanant, quę communi quodam vocabulo, excellentia appellentur. Sunt autem excellentiæ, particulæ quædam diuinarũ perfectionum, quibus vnus altero perfectior existit; quibus si quis eis recte vtatur, se supra se tollit. Multę sunt prerogatiuæ excellentiæ, de quibus fusè Horatius Lombardellius disputauit. Aufert excellentia omnem maculam natiuitatis, corporis, ignobilitatis; honoribus ornat; principibus gratos reddit: honorem in alios sibi coniunctos transfundit: post mortem vitam in animis hominum tribuit. Excellentiæ præmia dantur; signa eriguntur; carminibus celebratur, orationibus commendatur; omnibus cara, & grata est, ac demum summa delectatione animum perfundit. Sunt tamen qui solum perfectiones scientiarum, & artium excellentias esse putent, & ita distinguunt eas à virtutibus moralibus. Eos qui habent priores perfectiones, vocant perfectos; qui ha-

Quæ ignorãtia bonã opinionem lędat.

Bona, quæ in nobis reperiũtúr sũt participationes diuinarum perfectionum.

Excellentiæ quid.

Horatius Lombard. lib. 1. c. 2. 3. 4.

Excellentię prerogatiuę

Perfecti Boni qui.

habent morales, vocant bonos: & diuersa signa statuunt ad declarandas has, & illas perfectiones. Verùm nos nomine excellentiæ quamcunque intelligimus perfectionem. Sunt autem excellentiæ, vt ex dictis constat, in duplici differentia: alteræ sunt nobis à natura concessę, vt ingenij acumen, corporis elegantia, & robur: alterę proprijs viribus; Deo tamen adiuuante acquisitę, & maxime, quę sunt supra vires humanas, vt sunt illæ, quę ex gratia dependent. Ea autem de causa Deus suas creaturis communicauit perfectiones, vt cognoscerentur; non modo ab ijs, qui eas habent, sed etiam ab alijs, vt hac ratione eius potentia, magnificentia ex creaturis cognita, ac perspecta, eum tanquam tãtorum bonorum largitorem, debitis ornaremus laudibus. Hinc propheta creaturarum pulchritudinem, & elegantiam contemplans, in eam laudem prorupit. Domine dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est, &c. Et alibi: Mirabilis Deus in sanctis suis. Et Seruator in Euangelio: Vt videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum. Vt autem huic capiti modus imponatur, cũ honoris naturam cognoscendam esse, & quę sint boni partes, quid bona opinio, quid excellentia demonstratum sit, ad alia, quæ ad honoris naturam explicandam faciunt, transitum faciamus.

Quid nomine excellentiæ intelligatur.

Perfectiones in dupl. differentia.

Cur Deus creaturis cõmunicauerit perfectiones.

Psal. 8.

Psalm.

Matth. 5.

De gradibus, & manifestatione excellentiæ, & qui sint honore digni. *Cap.* 8.

CVM diuinę naturæ perfectio nullis sit definita terminis, ac propterea sit infinita; cum in creaturas se se diffudit, vt eodē modo, quo in se est, scilicet infinitè, se communicaret, nulla fieri ratione potuit: sed his rebus clarius, illis verò obscurius, perfectiones Deus impertiuit suas. Quo fit; cum excellentiæ sint particulæ quædam diuinæ perfectionis, vt varij existant excellentiæ gradus. Prima, ac singularis excellentia est illa, quæ in auctore omnium perfectionum reperitur Deo; qua ita Deus excellit, vt omnes infinitis partibus superet creaturas. Secundus gradus est, qui reperitur in parentibus, & patria, à quibus originem ducimus ac vitam trahimus. Tertius deinde gradus inuenitur in ijs, qui erga nos habent aliquā procurationem, ac prouidentię rationem; cuiusmodi sunt, prælati, pastores, principes, magistri, & aliæ id genus personæ. Et hæ quidem excellentiæ non modo dicūt perfectiones quasdam, sed etiam habent rationem principij, & eminentiæ, cui propriè debetur honor; cum honorare sit actus inferioris erga superiorem personam. Deniq; est quidam alius excellentię gradus, qui non includit rationem principij, & communicationis, aut peculiaris eminentiæ, sed perfectio-

Diuinæ perfectiones infinitæ.

Arist.

Cassanæus legendus in principio.

Primus gradus excellentiæ reperitur in Deo.

Plut. op. de amore fraterno.

Secundus gradus in parentibus.

Tertius gradus.

Alex. Alens. 3. p.

Honor cui proprie debeatur.

Arist. 4 Eth. cap. 3.

Quartus gradus.

nem aliquam, quæ in vno quoque homine, vt homo est, reperitur; quales sunt illæ perfectiones, quæ hominem in se perficiunt, nō in ordine ad alium, vt scientiæ, mores, artes: tametsi, cum quis ob has excellentias honoratur, honorantem anteire videatur. Omnes autem humanæ excellentiæ ad quatuor capita, de auctoris supra citati sententia, reuocantur hunc in modum. Aliæ enim sunt, quę corpore, vel manu exercentur, & in artibus consistunt, vt excellentia scribendi, pingendi. Aliæ, quæ in scientiarum cognitione positæ sunt; veluti Astrologiæ, Philosophiæ, Theologiæ: & illa erit maior excellentia, quæ sumitur à scientia, cuius obiectum existit nobilius, cuiusmodi omnium sententia erit Theologiæ excellentia. Aliæ sunt, quæ à gubernatione ciuili, & domestica sumuntur. Demum dantur aliæ, quæ à vitæ integritate, & religione proficiscuntur vera. Et licèt aliquæ sint excellentiæ, quę non claudunt in se rationem eminentiæ, siue principij, siue prouidentiæ erga alios: tamen qui honoratur, semper debet aliqua ratione esse superior. Vel enim erit simpliciter, & omni ex parte eminentior honorante, quem & dignitatis gradu, & vitæ integritate superabit: vel secundum aliquam rationem erit honorante maior; veluti si dignitate non præstabit, virtute superior erit: vel saltem secundum existimationem honorantis maior

Horatius Lombard. tract. 2. c. 1.

Artium excellentia.

Scientiarū excellentia.

Arist. lib. 1. de anima.

Cassançus legendus.

Theologica excellentia qualis.

Gubernationis excellētia.

Morum excellentia.

Honoratus semper aliquo modo eminentior est honorante.

cen-

censebitur. Est autem prudentis, ac benè liberaliterque educati, ita de se sentire, vt omnibus, præsertim quantum ad excellentiam virtutum, se inferiorem esse existimet, ac propterea omnibus suo modo honorem exhibere; ad quod officij genus nos his verbis hortatur apostolus. Honore inuicem præuenientes: & alibi. Superiores inuicem arbitrantes. Ex his intelligi licet, ex se, suaque natura honorem primò deberi ei, qui cæteris præstat, non modo ea de causa, quia est virtute præditus, sed etiam quòd aliquam eminentiæ & procurationis, aut principij rationem erga alios habet. Quo fit, vt prælati, principes, parentes, domini, duces, doctores, senes, diuites honore afficiendi sint. Quare licèt virtuti, & virtute ornatis potissime debeatur honor: tamen proprio quodã iure, etiam dignitati, & in dignitate constitutis reuerentia est exhibenda: tum quia in virtute esse censentur: tum quia in eis singulari quadam ratione diuina relucet excellentia. De his enim dictum est; Qui vos spernit, me spernit: & alibi, Qui bene præsunt, duplici honore sunt digni. Item; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quando autem huiusmodi excellentiæ, vel à natura nobis concessæ, vel diuinitùs datæ, vel proprijs viribus acquisitæ, ab alijs, & maxime per earum vsum fuerint cognitæ, opinionem quandam bonam in eis, qui illas intuentur,

Hominis liberaliter educati officium.

Paulus. Rom. 12.

Phil. 2.

Quibus honor & ob quas causas debeatur.

Cassanęus legendus in principio.

Virtuti præmium debetur.

Quare iis, qui sunt in aliquo dignitatis fastigio honorentur.

1. Tim. 5.

Rom. 13.

1. Pet. 2.

Excellentiæ cognitæ effectus.

Bona opinio gignitur ab excellentia cognita.

tur, aut aliqua ratione cognoſcunt, vi, efficacitateque ſua ingenerant, per quam opinionem excellentes viri aliorum animos poſsident, & in illis viuunt. Hac genita per excellentes operationes, aut etiam per præſumptionem, in alienis mentibus bona opinione; qui eam conceperunt, ſignis quibusdam, ni liuore, & odio deflagrent, edere eandem geſtiunt; atque cultu quodam non modo interiori, ſed etiam exteriori eum quem excellere intelligunt, proſequi conantur. Cultus autem iſte, quo excellentes viros colere ſolemus, ex D. Thoma, omnem decentem actũ, quo homo ad alium hominem ordinatur, & conuenienter ſe habet, deſignat. Quod autem neceſſarium fuerit illam interiorem reuerentiam, ac exiſtimationem conceptam, manifeſtare ex his patebit, quas nunc cauſas ſubijciam. Et in primis: ſi de excellentia diuina à nobis cognita loqui volumus; licèt Deus potiſsimum interiori cultu colendus ſit: tamen cum ab eo non modo animum, ſed etiam corpus, & bona omnia àcceperimus, vtroque cultu animi & corporis, eum venerari, ac colere debemus. Excipe (aiebat Triſmegiſtus cum Deo loquens) verborum ſacrificia ſancta, ab animo, & corpore debito tibi manantia. Deinde internum cultum exterius manifeſtare debemus, vt oſtendamus, nos veros eſſe cultores Dei; ad cuius reuerentiam alios quoque hac ratione excitemus.

Homines deſiderant manifeſtare opinionem bonam quã de aliquo habent.

D. Thom. 2. 2. q. 102. art. 2.

Cur Deus exteriori cultu ſit colendus,

Prima ratio

Triſmeg. in Piman.

Secunda ratio.

temus. Vnde religio, quæ Dei excellentias agnoſcit, eſt virtus, quæ Deo cultum cæremoniamque exhibet. Quantum verò ad excellentias in homine cognitas manifeſtandas attinet; indubitata res eſt, eas debuiſſe ſignificatione aliqua manifeſtari. Et primò; vt Deus in ſua ſimilitudine, & ſanctis & principibus ſuis coleretur. Omnis nanq; honor, qui creaturę datur, in eius redundat auctorem: Deinde hoc fieri debuit, vt alij qui cognoſcunt per exteriorem reuerentiam me bonam habere de aliquo opinionem, eandē conciperent, atque ita ad eum qui excellit colendum, excitarentur. Pręterea congruum fuit, vt honeſtæ, & excellentes operationes aliquod haberent præmium, quo altę vigerent, ac perſeuerarent artes. Adde, quod licèt is, qui in virtute eſt, ſola debeat virtute eſſe contentus, ſi præter virtutem nihil boni extrinſecus ei contingat: tamen (quod inficiari nemo poterit) non offendet; ſi ad gloriam Dei, & proximi vtilitatem non modo in alijs bonam opinionem poſsidere, ſed etiam illam aliquo reuerentiæ ſigno declarari, & manifeſtari cupiet. Deniq; ſicuti virtutum habitus ad operationes ordinantur; cum ſit ipſa operatio habitu perfectior; pari quoq; ratione illa bona opinio, & reuerentia interior aliqua ſignificatione ſe prodere debuit. Circa hos diuerſos excellentiæ gradus manifeſtandos variæ verſantur virtutes.

Religio, qd

Hominum excellentię, cur exteriori cultu ſint manifeſtādæ.

Prima ratio

Secunda ratio.

Tertia ratio

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Ariſtot.

Diui-

Ioan. Salesberiē. legē. de reuerentia exhiben da Deo. Quæ virtus manifestet excellentias Dei.

Diuinarum perfectionum cognitionem manifestat religio, dum sacrificia, oblationes, incensa, holocausta Deo omnium rerum fabricatori offert. Parentum excellentiam veneratur, ac colit pietas, quę quantum posit, his versibus indicauit Naso.

Quę virtus manifestet excellentiā parentum. Ouid. l. 1. de ponto.

Cum foret Aeneæ ceruix subiecta parenti,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.

Quæ virtus declaret excellentiam maiorum. Quæ virtus declaret alias excellentias. D.Tho.2.2. q. 103 ar.4. Quid honor significet. Reuerentia interior qd. Reuerentia principium & finis honoris.

Maiorum, ac curam nostrùm gerentium excellentiam suis obsequijs demonstrat, ac veneratur obseruantia. At vero circa alias excellentias patefaciendas, & colēdas versatur reuerentia; aut ea virtus, quam gręca voce, duliam appellare solemus. Ex his inferre licet; honorem importare actionem quandam exteriorem, qua ostendimus, ac testificamur, in eo quem honoramus, excellentiam reperiri aliquam. Rursus patet, reuerentiam interiorem; quæ est honestus quidam pudor, seu timor ex alterius excellentia cognita genitus, esse principium honoris, quatenus mouet ad dandam significationem aliquam de alterius excellentia; atque etiam quodammodo esse eiusdem honoris finem; cum hæc testificatio eò tendat, vt eum quem honoramus, alij quoque honore afficiant. Constat etiam ex dictis, verum esse, quod Aristoteles asseruit; eos qui volunt honorari, suæ excellentiæ testimonium quærere, & pręcipuè à prudentibus; quia hi melius norunt, qui sint verè studiosi, quibus peculiari

Arist. 8. Eth. Arist. 1. Eth.

quo-

quodam iure debetur reuerentia. Colligitur quoque ex his, quæ supra scripta sunt, cur ij, qui se honoratos esse existimant, iniuriam tantopere detestentur, ac eam neruis omnibus refellant; quia per iniuriam contẽnuntur, & despiciuntur, ac propterea eos vacare excellentia, & virtute insinuatur. Et sicuti excellentia morum, quippe quæ magis nostra est, cum proprijs operationibus eam nobis comparemus, & verè hominem beatũ faciat, singulari quadam ratione nos dignos reuerentia, & cultu efficit: ita iniuria, quæ nos carere virtute demonstrat, magis lædit, & quæ magis nos in vitio esse ostendit, hæc maior existit: quod nihil possit nobis accidere perniciosus, & magis incommodum in bonis externis: cum is, qui sine virtute esse existimatur, minus quàm homo esse videatur. Quare qui honorati esse cupiunt, à turpibus actionibus, quę bonam opinionem aut funditùs tollere, aut perturbare valent, abstinent, & ne alij per iniuriam id faciant, prohibere conantur. Et licèt semper homines iniquo animo ferant se paruifieri: vix tamẽ pati possunt, apud quinque hominum genera se contemni: veluti apud illos, cum quibus de honore, & gloria contendunt: apud eos, quos admirantur: apud eos, in quorum animis sui admirationem gignere cupiunt: apud eos, quos verentur: & apud illos, qui eos verentur. Sed cum demonstrauerimus,

Honor quibus debeat.

Cur iniuriã homines refugiant.

Quæ excellentia hominem beatũ faciat.

Iniuria quæ maior.

Viri honesti qd faciant.

A quibus homines negligi nolint Arist. 2. rhe. cap. 2.

qui sint excellentiæ gradus, & cur, & à quibus virtutibus manifestari debeant, & qui digni sint, qui exteriori reuerentia colantur, & qui & quantum paruifactionem respuant; de signis quibus reuerentia manifestãda est, ac etiam de honoris prestantia, nobis scribendum est.

De signis, & magnitudine honoris. Cap. 9.

Homo factus ad imaginem Dei.

HOMINEM ad imaginem Dei factum, constitutumque esse, non modo sacrę, sed etiam profanę tradidere scripturæ. Vnde illud Arati in phœnomenis.

Aratus.

Τοῦ γὰρ γένος ἐσμέν. Hoc est.

Eius, scilicet Dei, genus sumus.

Pythag.

Et Pythagoras. θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν. Hoc est: Diuinum genus est mortalibus. Hinc est, quod humana procuratio diuinam, quantum potest, imitari solet. Quare sicuti Deus hominibus bene, beateque viuentibus prēmia laborum constituit, ne virtus suo careret fructu: ita homines in humana republica bona quædam, rerum bene gestarum quasi præmia, & signa virtutis, constituere debuerunt. Quamuis verè cecinerit ille.

Bapt. Mantuan.

Plurima virtuti laus hic, at prēmia nulla
Nam Deus illius prēmia solus habet.

His itaque rebus humano vsu constitutis, tanquam indicijs quibusdam, testificationẽ damus, aliquem excellere, & in virtute esse, atque ita eum colimus, & reueremur. Ideo

vt

vt supra scripsimus de sententia philosophi; Qui volunt honorari, testimonium excellentiæ quærunt. Quo fit, in tantum dignitatibus, honoribus, donis, quæ excellentiæ dari solent, homines honorari, in quantum eos excellere, & studiosos esse his signis indicatur. Hæc autem signa partim sunt terminata, quod certam indicent excellentiam iuxta gradus supra enumeratos: partim verò interminata sunt. Hinc est, quod quibusdam signis, & ceremonijs Deum colimus, veluti sacrificijs, quibus nefas esset, creaturam colere. Pari ratione parentes quibusdam officijs prosequimur, quibus cęteros colere nō solemus. Idem de cultu erga maiores, & moderatores nostros dicas, quos certis obsequijs, & signis obseruamus. Deniq; alios quoque excellentiæ, & virtutis gradus certis indicijs indicamus, & peculiari cultu veneramur. Quę verò sunt interminata, indifferenter excellentiam, & virtutem aliquam demōstrant: vt est, aperire caput, salutare, locum cedere, poplitem flectere. Sunt autem quædam signa, quæ excellentiam morum, seu virtutes morales indicant: veluti si cui vitam tuam, res tuas crederes; si dictis alicuius simpliciter fidem haberes; quæ signa illius prudentiam, iustitiam, fortitudinem, sinceritatē indicarent. Simili modo dignitates, gradus possunt indicare virtutem, & scientiam, quæ ad illos sustinendos requiruntur. Rursus

Arist. 8. Eth. Honorari volētes quærunt test. virtutis. Quare dignitatibus homines honorentur. Signa certa honoris.

Deus certis signis colit.

Signa interminata.

Signa quæ mores indicant.

Alia signorum diuisio

hęc signa possunt ita diuidi; quod altera indicent simpliciter, & in vniuersum aliquam excellentiam; veluti aperire caput, locum cedere, certa verborum forma appellare aliquem: altera verò, quæ speciatim excellentiā

Virtus in omnibus esse censetur.

morum indicant: licèt illa, quæ excellentiam simpliciter demonstrant, possint etiam indicare bonos mores, cum hæc morum perfectio ea sit, quæ in omnibus reperiri debeat, ac etiam reperiri præsumatur, nisi contrariū

Excellenti viro honesto, & perfecto, quæ signa reuerētiæ debeant

constet. Ex his inferre licet, excellenti viro certum quendam cultum; bono, & honesto quendam alium; at viro excellenti, & honesto, quem perfectum vocare possumus, omnia reuerentiæ signa deberi. Constat etiam

Non esse neganda signa reuerentiæ.

peccare eos, qui honoris signa, quæ certis personis debentur, erga alios quibus non debentur adhibent; nisi ex quadam modestia, & liberalitate faciant. Similiter patet, peccatores, quia peccatores sunt, non esse honore afficiendos. Itèm conficitur, signa, quæ certam indicant excellentiam, suo tempore, & loco, ei cui debentur, non esse ab homine bene, liberaliterque educato neganda: quod si negentur, non sine aliqua paruifactione fiet: licèt si quis negaret communia signa, non ita paruifaceret. Quo fit, vt si ista signa

Vir bonus æquo animo ferat in signis externis honorē

negentur viro bono & studioso, non debeat animo ęgro ferre, cum ei iniuria non fiat, ac contentus esse debet honesta, & laudabili vi-

Cicero.

ta; nec aliunde viuendi suspensas debet habere

bere rationes. Cum autem ea negantur signa, quæ aliquem in vitio esse declarant; is, qui sic iniuria afficitur, quantum potest, se vitio non laborare demonstret. Demum nascitur ex dictis, signa contraria ijs, quibus excellentia, & virtus patefit, malam de aliquo opinionem, & defectum excellentiæ, & virtutis ostendere, atque eandem in animis aliorum opinionem gignere, vnde paruifactio, & iniuria proficiscuntur. Et hinc est, vt superius etiam adnotauimus, cur homines tantopere despicationem respuant, & honorari velint; quod neglectus, & honor vel in vitio, vel in virtute nos esse indicent. Qua virtute carere, nihil calamitosius potest in hac vita homini accidere. Quare cum mortales honorari volunt, aut honorem sibi resti tui curant, & pro eo contendunt, propter honestatem depugnant, cum studiosi videri velint. Propterea eleganter philosophus negauit felicitatem positam esse in honore, cũ homines honorem ad virtutem referant; & ideò honorari velint, vt virtute excellere co scantur: cuius rei signum est, quod à prudentibus, qui melius norunt in quònam virtus reperiatur, honorari cupiunt. Solent hæc externa obsequia, & hic reuerentiæ cultus appellari maximum bonum, idque ob eas rationes, quas subijciam. Primò quidem, quia nihil dari maius potest excellenti, & bono viro, quàm si eum excellere, & bene agere, re-

Quibus signis fiat iniuria.

Cur homines negligi nolint.

Virtute carere calamitosum.

Qui honorè tutantur, pro honesto pugnant

Arist. 1. Eth. Honor non est finis hominis.

Cur honorari velimus a prudẽtibus.

Cur honor vocetur maximũ bonũ

Prima ratio

rentia atq; obſeruantia demonſtrauerimus. Deinde licèt honor non ſit virtus, vel excellentia, & ſit bonum quoddam extra honorantem; tamen cum excellentiam, & virtutem demonſtret, magnum quid profectò erit. Præterea ex eo quoque honoris magnitudo conſtat, quod conſeruet, & augeat illud bonum, quod in animis aliorum poſsidemus; videlicet bonam opinionem, quæ eſt fama. Ad hæc honor maximum quid eſt, quod nos quodammodo aliorum dominos, & alios nobis ſubiectos facit. Huc accedit, quod cum honor Deo, & optimis tribui ſoleat, non poteſt non eſſe quid maximum. Adde etiam, cum ſit ſignum honeſtarum operationum, in quibus ſita eſt noſtra in hac vita beatitudo, exhibitus honor nos beatos eſſe indicat. Neq; exiguus eſt ille honoris fructus, quod in honorato maximā delectationem gignit. Deniq; exiſtimatione humana magnū quid, dum pro eo homines diſceptant, eſſe cenſetur. Cum ergo honor excellentiæ detur, ſitque maximum bonum, ſolet etiam præmium appellari: & maxime cum quis ob eas honoratur excellentias, quas ſuo ſibi labore parauit: tametſi hæc ratio præmij honori quaſi ex obliquo competat. Cęterùm cum ſit pręmiū, debet etiam aliquo pacto eſſe ex debito: debito tamē quodā politico, & ex honeſtate. Deberi autem ſtudioſo aliqua ratione honorem, ſic demonſtratur. Cum quis honeſte, excel-

Secunda ratio.

Tertia ratio

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Ariſt. 1. Eth.

Seſta ratio.

Ariſt. 1. rhe. cap. 11.

Octaua ratio

D. Thomas.

Honor dicitur præmiū.

Honor quomodo dicatur debitus.

excellenterque agit, in animis hominum bonam de se gignit opinionem, ac veluti boni cuiusdam possessionem quandam acquirit. Is, qui hanc bonam opinionem de eo qui studiose agit habet, obligatione quadam huius boni fructus, hoc est reuerentiam, & cultum domino restituere debet. Propterea D. Paulus nos monebat, vt redderemus honorē ei, cui illum debemus: quod speciatim verum est de honore reddendo ijs, qui nostri aliquā procurationem habent. Et ne hoc caput longius protrahatur; cum de signis excellentię, & honoris præstantia dixerimus; de quibusdam alijs rebus, quæ ad eius naturam explicādam pertinent, postea ipsum definire possimus, aliqua sequenti capite adscribamus.

Cur studiosis, & excellentibus honor debitus sit.

Paul. Ro. 13

De appetitione honoris, & quæ sint de honore sententię. Cap. 10.

BOnum, quod græci καλὸν calon, ab ea, quam habet virtute ad se alliciendi, vocant; quò maius, & illustrius est, eò magis ad se appetitionem trahit humanam. Hinc est, quod cum honor (ex dictis constat) maximū sit bonum, vt ab hominibus maxime quoque appetatur: & vt facile ab omnibus expetitur; ita facile in eo appetendo ferè ab omnibus peccatur. Et quoniam ex inordinata honoris appetitione; seditiones, & discordiæ in rep. suboriuntur, cum homines se honore

Dion. Areop.

Arist. 4. Eth.

Seditiones in rep. cur oriantur.

priuatos esse conquerentur, de modo quo appeti debet, & quomodo auferri dicatur, & quæ sint de honore sententiæ, paucis hoc capite disputare intendimus. Honor in primis nunquam, veluti finis vltimus est à nobis expetendus, vt omnes, qui de honore disputarunt, rectissime tradiderunt. Patet id quod dicimus ex his, quæ supra tradita sunt: & confirmatur ratione vrgentissima, qua omnes vtuntur, ad hoc probandum. Finis vltimus debet esse positus in re aliqua, quæ sit in nobis. At honor in honorante esse dicitur. Quare nõ erit noster vltimus finis. Errãt prę terea in appetitione honoris qui volũt honorari propter excellẽtias, quas non habent; vt si quis vellet honorari tãquam doctor, & doctor non esset. Deniq; in hac re peccatur, cũ honor non refertur in gloriã Dei, vel proximi vtilitatem, propter quas causas Deus nobis excellentias communicauit. Ex his cognoscere licet, quomodo intelligatur illud, quod dici solet. Laude digni sunt, qui honores contemnunt. Quæ sententia sic accipienda est. Cum quis nihil agit contra honestatem honoris causa, nec honorem aliter quàm debet, quærit; & magis de virtute acquirenda, cui solidus debetur honor, quàm de reuerentia exteriori laborat: is laudãdus est. Si quis autem hoc modo contemneret honorem, non curando eam viuere vitam, & ea facere, quæ sunt honore digna, vitupera-

Arist. 1. Eth. Honor non est per se expetendus.

Primus modus quo peccatur in appetendo honore.

Primo Eth.

Secundus modus.

Tertius modus.

Honorem quomodo quis bene, aut male cõtemnat.

ri deberet. Quare vir prudens in hoc incumbat, vt honeste, & laudabiliter viuat, & de honore exhibendo in aliorũ relinquat arbitrio. Curent igitur mortales, vt virtutem nanciſcantur, q̃ eos honore dignos faciet, nec permittet, vt in appetendo honore quidquã peccent. Et quoniam ij qui verè honore digni ſunt, interdum de honore ablato conqueruntur, quomodo accipiendum ſit, quod dici conſueuit: Abſtulit a me honorem meum; paucis declaremus. Non deſunt qui dicant, hanc loquendi formulam nullo modo veram eſſe, quorum ſententiæ omni ex parte ſuffragari non poſſum. Arbitror.n.nos poſſe dicere, aliquem nobis abſtudiſſe honorem. Nam licèt dum quis iniuriam patitur, nullũ committat crimen, quo potiſsimum quis ſe ipſum honore indignum reddit: tamen dum paruifit per verba, vel per ſigna; priuatur in primis honore, & reuerentia, qua afficiendus erat ab eo, qui iniuriam facit. Deinde ſi iniuria fiat ab eo, qui poteſt in animis aliorum gignere opinionem malam, qua credant, eũ qui perpeſſus eſt iniuriam, in vitio eſſe, priuabit affectum opinione bona, quam in animis aliorum poſsidebat, & cum priuet fama, quæ ſæpe cum honore confunditur, dicitur honore priuari, cum bona fama ſit honoris cauſa. Demum cum per iniuriam, vt dictũ eſt, quis opinione bona priuetur, priuatur quoque illa obſeruantia, & cultu, quo prius

Prudentis viri officiũ in appetendo honore.

Honorem auferri poſ ſe, an benedicatur.

Honorem ablatum eſſe dici poſſe

Prima explicatio.

Secunda.

Tertia.

Cōtumeliā facere pro- ximo cedit in damnum reip. & Dei contemptū.

ab alijs coli solebat, qui cultus (vt ex dictis patet) fructus est virtutis maximus. Et dum quis honore spoliatur suo, remanet vilis, & abiectus, & nullam censetur habere excellentiam: quo fit vt Deus in illo non laudetur, & inutilis reip. dum virtute carere censetur, reputetur. Hinc nascitur, vt iniuria non modo ei cui fit, sed etiam reip. noceat, & in Dei contumeliam cedat, cum ob excellentias, & perfectiones suæ creaturæ concessas, non celebretur. Nec propterea existimandum est;

Iniuriæ effectus.

Honor quo modo non dicat auferri.

Capite. 12.

vt vulgus existimat, cum quis te contumelia affecerit, eum secum honorem tuum ferre, vti fur pecunias fert tuas, quas furatus est; ac propterea licere fugientem conuiciatorē, vel lædētem psequi, & repercutere, quasi hac ratione honor recuperari queat: quia hic est error omnino reijciendus, vt infra demonstrabitur. His iactis fundamentis licebit, ni fallor, haud obscure intelligere, q̄ sit honoris natura, quę cum multū recondita sit, non satis bene ab omnibus cognita, ac perspecta fuit; & ideo variè de ea sensere doctores. Nā alij dicunt esse dignitatē, qua quis honore dignus est. Alij putant honorē esse, habere bonā opinionē, vt Franciscus Patritius dialogo de honore docet. Alij arbitrātur esse premiū virtutis. Alij esse statum illesæ naturæ. Alexander Piccolomineus suo etiam quodam modo honorem finiuit. Platonici, vt est videre apud Pignam, varie honorem depinxerunt.

Variæ de honore sententiæ.

Franciscus Patritius.
Flaminus Nobilius lib. de honore legen.
Alex. Picco.
Pigna.

runt. Nos autem Aristotelis,& Theologorum finitiones approbantes,eas sequenti capite explanabimus: quod facilius vt fiat, aduertendum est honorẽ apud latinos, & apud sacras literas varias habere significationes. Solet autem potissimum significare ea, propter quæ honoramur; vt pulchritudinem, magnificentiã,splendorem,dignitatem; rem quæ in præmium virtutis datur; substantiã, subsidium,& mercedem. Verum duæ potissimum significationes ad rem nostram faciũt: altera est quatenus significat ea, quibus honor exhibetur, quo modo dignitates, obsequia,officia vocamus honores: altera est qua tenus sumitur pro ipsa testificatione, & manifestatione eminentiæ & excellẽtiæ: quomodo dicit aliqd distinctũ ab alijs rebus: in qua significatione à nobis finiendus erit. Vt autem melius possimus internoscere honoris naturam, ab ijs, quæ cum eo affinitatem habent, aduertendum est,varia esse genera bonorũ, quę nos in animis aliorũ possidemus, in quibus etiam honor cõtinetur, de quibus postea suo ordine disputandum erit, quorũ consideratio non nihil ad rem nostram facit. Primo est illa bona opinio, quam quis habet de excellentia,& virtute nostra. Secundo est obseruantia, & reuerentia interior, & exterior,qua colimur. Tertio est laus qua celebratur nostra excellentia. Quarto est fama; & postremo gloria, de quibus omnibus statim,

Laurentius à Villaiunc.

Honor varie accipit. Cassanæus legendus.

Cic. l. vlt. ep.

Alex. Alen. 3. p. q. 33. in 2. art. 4.

Quę facta in aliis possidemus.

tim, vbi de modo appetendi honorem, de modo, quo auferri dicatur, & quæ ſint de honore ſcribentium ſententiæ, ac honoris ſignificationes diximus, ſcribemus.

Quid ſit honor, de Ariſtotelis, Theologorum, & & aliorum ſcriptorum ſententia. Cap. 11.

QVAMVIS omni operationi ex quacunque excellentia, & virtute mananti ſuus debeatur honor: ea tamen præcipue ratione debetur, qua, propter illam operationem is qui ſtudioſe agit, prçeminet, ac ſe communicat, aut communicare poteſt alijs. Hoc nanque pacto Deum beneficentiſsimũ, qui tota die miſeretur, & commodat; qui implet omne animal benedictione; a quo in nos omnia proficiſcuntur bona, homo imitatur: vt ſit homo homini Deus, cuius eſt omnis honor, & gloria.

Pſal. 111. Pſal. 103. Luc. 1.

Te pater mundi,
Te pater ſæculorum,
Opifex diuorum,
Fas eſt laudare.

Syneſius cyrenſis epus.

Vt ſapientum quidam ſapienter dixerit, hac potiſsimum ratione nos fieri Deo ſimiles, cum in alios benefici ſumus. Ex quibus inferre licet, non male Ariſtotelem in primo rhetorices libro; quamuis aliqui non bene, mea quidem ſententia, aliter opinentur, honorem hunc in modum definiuiſſe.

Deo ſimiles qui ſint.

Honor quid

σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης. Hoc eſt.

Si-

Signum benefactiuæ, seu beneficæ opinionis. Verum circa horum verborum translationem, & interpretationem inter sese dissentiunt scriptores. Nam, vt ait Petrus Victorius, particula illa, δόξης. doxes, an gloriam, an vero opinionem hoc loco significet, cum vtranque significationem apud græcos habere soleat dubium est. Hermolaus Barbarus sic vertit hunc locum. Honor est significatio eius opinionis, quæ de alicuius benificentia, seu liberalitate habetur. Magioragius ita interpretatur. Honor est signum gloriæ ex pluribus in alios meritis comparatæ. Verum communis est versio Caroli Sigonij, Gregorij Trapezuntij, & aliorum, qui existimationem, & opinionem vertunt. Illud autem pro comperto habeo, doxan, seu opinionem hoc loco non significare electionem, vt quidam contendunt. Et id in primis ob eam causam mihi persuadeo, quod ista vox apud græcos, quod sciam, talem vsum non habet, vt electionem significet, & Budeus in suis commentarijs linguæ græcę huius significationis nullam mentionem fecit. Adde, quod videtur satis violenta expositio, & præter philosophi mentem: cum eo loco non disputet de conditionibus virtutis beneficæ; sed supponit functionem virtutis rectam, cui honorem adscribit. Postremo quia omnes alij aliter exponunt. Censerem pręterea potius doxan. existimationem, & opinionem, quàm glo-

Honoris defectio declaratur.

Petrus Vict.

Cyril. in Io.

Hermolaus Barb.

Magioragi⁹.

Sygonius.

Trapezunt.

Ant. Ber.

Budeus.

Quid, doxa in denntio ne Arist. significet.

gloriam notare. Primo quia plures sunt, qui sic exponant. Proxime quia gloria honorem sequitur, tanquam vmbra corpus, & honor non debetur gloriæ, sed operationi, vt Aristoteles docuit. Demum cum Aristoteles supra dixisset εὐδοξίαν hoc est, bonam existimationem, aut bonam famam (hoc .n. sonare hanc vocem gręcam apud latinos, libro 3. de finibus docuit Cicero) esse existimationem virtutis; definiens postea honorē, dixit, esse signum opinionis, non gloriæ sed virtutis beneficæ. Hęc respexit fortasse Cicero in Bruto; cum dixit: honorem esse præmium virtutis, iudicio ciuium delatum. Quare non satis commode vertitur à Magioragio: Qui in eo quoque videtur peccare, quod dum minus elegantiam affectat, Aristotelis sententiam non assequitur: cum inquit: ex plurimis in alios meritis: cum ex Aristotele etiam qui non dum contulit beneficia, aut vnum, vel alterum contulit, sit honore dignus. Est etiam dubium in hac definitione; an ista particula, opinionis, cum beneficio, & honorato: an vero cum honorante sit copulanda. Et certè existimarem esse referendam ad honorantem; vt sit hic horū verborum sensus. Honor est signum, idest indicium, & significatio opinionis, & existimationis, quam quis se habere demonstrat de beneficentia, & virtute alterius. Vt opinio benefica dicatur ea, quæ ex beneficentia

alicuius

Arist. 1. Eth.

Eudoxia, qd apud latinos sonet.

Cicero.

Qui Cicero ni honor.

Magioragi reprehendit

Declaratur locus Arist.

Definitionis Aristot. sensus.

alicuius gignitur: quo modo Antonius Pos- Anto. Posse. l. 1. c. 5.
seu. melius quam frater explicasse videtur.
Nec me fugit aliquos existimare vocem illã, εὐεργετικὸς idest beneficentiæ, aliquid amplius, quàm liberalitatem, & munificentiam significare, & idem valere putant, quod Italica vox Valore. & certè cũ εὐεργεσία idest liberalitas, & munificentia sit propria principum, & eorum, qui sunt in aliquo superiori gradu, & eminenti loco constituti, vox quoque εὐεργέτης idest benefactor seu beneficus, non solum auctorem beneficij, sed etiã eum, qui habet aliquam rationem eminentię, & communicationis in alios significabit. Ioan. Bapt. Pigna. Diogenes Laertius le gẽdus lib. 3.

Huc facit locus quidam Diui Lucæ, in quo Seruator respondens ad interrogationem factam ab apostolis, quis deberet esse maior inter eos, ait. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent inter eos, εὐεργεται idest benefici vocantur. Voluit fortasse D. Lucas exprimere vocem Nedibim, qua verisimile est Seruatorem vsum fuisse, dum ista, lingua hebraica, dixit. Nam, vox Nedibim apud hebręos, vt est videre apud Pagninum in voce Nadau significat principes, qui sic appellantur à liberalitate: cum verbum Nadau sponte aliquid largiri, & dare significet. Vnde illud; Melius sperare in domino, quàm in Nediuim idest principibus, qui solent liberaliter elargiri. D. Lucas cap. 12. Iansen. cap. 133. Psal. 118. Pagninus. Psalm.

Sed iam ad aliam definitionẽ honoris à scho-

lasticis traditam, quam tamen ex Aristotele colligunt explicandam, transeamus. Alexander Alens: sic ex Arist. describit. Honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. D. Thomas eadem ferè ratione sic describit. Est reuerentia exhibita alicui in testimonium excellentiæ eius. Alij hunc in modum. Est signum aliquod in testimonium virtutis aut excellentiæ. Qui arbitrantur honorem non esse positum in aliqua re exteriori, sed in bona existimatione, sic definire solent. Est bona existimatio, vel notitia, ex bonis operationibus alicuius cognitis orta. Ita Franciscus patritius dialogo de honore, quo loco ait: Sicuti duo sunt genera operationum bonarum: aliæ veræ, aliæ apparentes: ita & duo honoris genera: alter est honor verus, qui nascitur ex veris operationibus virtutis: alter falsus; aut (vt ipse vult) potius bona existimatio appellatur, qui non oritur ex operationibus studiosis: qui honor non est negligendus, cum sit quoddam bonum. Gignitur autem hic honor ex illis operationibus, & rebus, quæ non efficiunt nos simpliciter bonos, vt sunt artes, diuitiæ, & id genus alia. Hinc deducit auctor iste, & alij qui censent hanc esse honoris naturã; verum honorem amitti posse nunquam, cum à vera virtute operatio nunquam proficiscatur mala, & vt virtus semper perseuerat, ita notitia illa, quã quis de virtute alicuius habet.

Alexander 3. p. q. 33. in 2. art. c.

D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1.

Viguer.

Franc. Patritius.

Honor apparens non negligendus.

Honor apparens quibus rebus gignatur.

bet. At bona existimatio cum ex rebus nascatur indifferentibus, facile amitti potest. Colligitur ex hac sententia, honorem, & bonam existimationem non posse fingi, sicuti laus, & reuerentia, quæ sæpe ab adulatoribus finguntur. Et cum existimet reuerentiam esse ab honore seiunctam, eam sic seorsim ab honore describit. Est signum vocis, aut corporis gestus, quo indicatur bona opinio quę habetur de eo, quem quis tanquam superiorem reueretur. Addit, vulgum sæpe reuerentiam cum honore confundere; dum reuerentiam loco honoris non rarò accipit, quo modo effectus pro causa accipi solet, cum reuerentia sit honoris effectus. Quidam alius sic describit, Est bona opinio, qua alij credũt nos esse viros probos. Huic communi definitioni si addas causas, quibus gignitur hęc opinio, scilicet bonas operationes, vel præsumptionẽ, poteris cõficere duas definitiones, alteram honoris veri, alteram presumpti. Et hanc bonam opinionem ait esse premium virtutis. Honorem autem qui debetur alijs excellentijs, ait esse opinionem perfectionis. Susius vero de duabus Aristotelis definitionibus ita sentit; vt illam, quæ datur in rhetorica virtutibus; illam, quæ datur in Ethicis, quæ dicitur esse præmium virtutis, scientijs, & artibus conuenire arbitretur. Sed mirum est, videre quàm varij fuerint scriptores in explanatione naturæ honoris, & in declaratione

Reuerentia quid.

Zucculus

Ioan. Bapt. Susius.

tione

tione definitionum Aristotelis. Certè inepta est quædam descriptio, quam recenset, & refellit Posseuinus alter, apud quem Calistrati Iurisperiti definitionem, sicuti apud Pignam alias à Platonicis traditas legere poteris. Nos vnam ex Speusippo, libello de definitionibus Platonis adscribemus. Honor est bonorum largitio, propter virtutis officium, æstimatio, ac dignitas virtute acquisita, figura venerationis, conseruatio dignitatis. Cæterùm quidquid alij senserint, Aristotelis, & Theologorum definitionem bonã esse arbitramur, quam rursus repetentes, possumus in hunc modum conflare. Honor est signum reuerentiæ exhibitæ alicui, ob aliquã excellentiam in eo cognitam. Quomodo hęc definitio sit intelligenda, & defendenda, satis ex superioribus constat. Neque institutum nostrum est velle disputare, aliorum definitiones refellendo, aut nostram pluribus confirmando, cum satis ex Aristotelis, & Theologorum auctoritate, & ex his, quæ supra dicta sunt, firma esse videatur. Siquis autem honorem hyeroglificè descriptum videre velit, legat Cœlium Augustum in additionibus ad Pierium. Habemus ergo ex hoc capite, quid Aristoteli, & Theologis, & alijs honor sit. Sequenti capite de partibus, & diuisionibus, ac alijs rebus, quæ ipsum circunstant, vt adhuc melius eius natura exponatur, disseremus.

Anto. Poss. Calistratus Ioan. Bapt. Pigna. Speusippus.

Honor quid

Honor quid

Cœlius Augus. lib. 49.

De diuisione honoris, & cur præmium, & finis dicatur. Cap. 12.

SATIS verè illud Marcus Tullius libro primo de natura Deorum, mihi dixisse videtur: habere honorationem iustam quidquid excellit. Quare nos non ineptè fecisse videmur superiori capite, si honoris naturã vniuersè spectantes diximus, esse signum, seu testificationem excellentiæ; cum cuique excellentiæ suus suo modo debeatur honor; quod non modo cum doctrina philosophi, sed etiam cum sacris consonat eloquijs, quæ non solum virtuti veræ, sed etiam alijs excellentijs reuerentiam esse tribuendam indicant. Et ita placuit vniuersè, ipsum definire. Si quis autem velit strictius describere, poterit; adhibendo eas particulas, quæ latiorem definitionem, ad præsiorem restringere valeant: qua in re declaranda non immorabimur; sed quiuis ex dictis poterit id efficere. Nunquam tamen negarem, solidum honorẽ esse eum, qui actionibus ex virtute manantibus iure debetur. Ad diuisiones honoris accedentes, dicimus in primis partiri posse iuxta eas partitiones, quibus secta fuit superius iniuria. Rursus penès gradus excellentiæ supra enumeratos; vt alius honor debeatur Deo; alius creaturæ, Ex Platonis sententia lib. 5. de legibus, hi gradus honoris colliguntur. Primus eius qui non facit iniuriam:

Cicero.

Arist. 8. Eth. cap. vltimo.

Arist. 9. Eth. cap. 2.

Quomodo possit præsius definiri honor.

Aristot. 4. Eth. cap.

Honoris diuisio.

Arist. 9. Eth. cap. 2.

Honoris partes.

riam: Secundus eius, qui propulsat: Tertius eius, qui beneficia re ipsa in alios confert: Quartus eius, qui cũ re cõferre nequeat, animo id vehementer desiderat. Franciscus Vierius ad tres gradus reuocat. Primus eorum qui non modo non faciunt iniuriam, sed etiã propulsant. Secundus eorum qui beneficia conferunt. Tertius competit excellentiæ contemplationis, qui pro ratione excellentię scientiarum partiri potest. Verum ne longũ faciam, satis erit demonstrasse, quomodo varijs modis, pro vt diuisa fuit iniuria, & iusta superius posita notanda, quisque ex se possit varias diuisiones conficere: puta, in honorẽ verum, & falsum: magnum, & paruum. Quæ verò sint honoris partes, constat ex Aristotele qui inter alias, has enumerat; sacra, memorationes, decantationes carminũ, orationes, lucos, sepulchra, imagines, munera, loco cedere, inclinari. Cæterùm vt huic tractationi de honore finem imponamus, aliqua ex superius dictis ad maiorem honoris explicationem colligamus. In primis colligitur, quomodo intelligendum sit illud, quod verè dixit Aristoteles honorem esse virtutis, & beneficentiæ præmium; quam descriptionem crederem posse conuenire omni excellentię, quam honoramus, licèt speciatim operationibus eius excellentiæ, quàm nostris viribus, & maiori industria acquirimus, conueniat: & magis excellentiæ morum, quàm scientia-

rum,

Tract. de pmio virt. cap. 2.

Franciscus Vierius.

Quomodo honor diui di possit.

Quæ sint honoris partes Arist. l. 1. Rhet. c. 5.

Quibus debeatur honor, vt præmium est.

rum, & magis virtuti beneficæ, quàm alijs, & magis ei, qui re ipsa, quàm qui solo animo est beneficus. Quod autem magis virtutum quàm scientiarum excellentiæ honor debeatur; patet ex eo quod per eas, vt cum Homero loquar homines θεοειδεῖς idest Deo similes efficiantur. Et ita putarem definitionem hãc, honoris non discrepare ab illa, quam superius de sententia Aristotelis tradidimus, cum diximus: esse signum, aut mauis, reuerentiam, in recognitionem excellentiæ: quia, vt superius adnotauimus, hæc signa, quibus declaramus alterius virtutẽ, sunt etiam suo modo virtutis præmia. Colligitur secundo quod cum honor sit præmium, & præmium debeatur perfectioni vltimæ, & vltima perfecto sit operatio (virtutes enim sunt propter operationes) honorem deberi operationibus, sicuti laus virtuti tribuitur. Sed dicat quispiam, cum honor sit veluti vltima quædam perfectio nostrarum operationum, & quasi sigillum earundem; cur non est vltimus finis, vt quidam antiqui voluere? Et, si honor non est finis, neque per se expetendus, quomodo plerique dicunt, in omnibus suis actionibus se habere honorem propositum, & pro honore esse vitam effundendam? Ad primam quæstionem respondentes, dicimus. In primis honor si pro reuerentia exteriori, aut pro signo reuerentiæ sumatur, nullo modo potest esse finis humanæ vitæ; vt

Honor magis debetur excellentiæ virtutũ, quã scientiarum. Homerus.

Honorem deberi operationibus.

Laus tribuitur virtuti. Dubitatio.

Arist. 1. Eth. cap. 5. Alia dubitatio.

Responsio ad primam dubitationẽ

Ant. Ber. Susius. Io. Bap. Pig. & alii.

Obiectio.

Io. Bap. Suf.

Quomodo honor ratione finis habeat. Capite 7.

Quomodo intelligi debeat, quod dici solet. Honorem præ oculis habeo.

Quomodo intelligatur illud; homines pugnare pro honore. Ant. Ber. l. 1. Sec. 4.

Aristoteles loco citato, & omnes, qui de honore scribunt, affirmant. Quo fit, vt qui actiones ad honorem sic acceptum referunt, non honore, sed contumelia sint digni. Quod si dicas, Aristoteles interdum appellat honorem καλὸν idest honestum, ait Susius, sic appellare, quatenus καλὸν. Calon bonum & pulchrum sonat; cum reuera sit quid bonū, vt supra est demonstratum: non tamen est bonum honestum, sed vtile, & delectabile. Dicimus secundo, honorem esse quodammodo finem, non respectu eius qui agit, quia semper debet habere pro fine honestum, ad quod cætera ordinātur bona; sed respectu aliorum, qui nobis honorem tribuunt, cum sit quid supremum ex his, quæ honestis actionibus tribui possunt; & ita, potest dici quodammodo finis in vita ciuili, quia resp. honores tanquam præmium tribuit ijs, qui aliqua re excellunt. At in vita priuata semper virtus est spectanda, & honores ad honeste agendū sunt referendi. Postremò dicimus: cum quis ait se habere præ oculis in omni actione vitę honorem; debemus ita intelligere; quod habeat prę oculis honestum, ad quod honor refertur. Hinc patet, quomodo sit accipiendum illud, quod dicitur: homines pugnare pro honore; esse solicitos de honore, hoc est pro honesto; quia volunt ostendere se esse viros honestos, & excellentes: non autem pugnant pro reuerentia, & reuerentiæ signis

sibi

ſibi exhibendis; quæ exhibere, aut negare po ſitum eſt in poteſtate aliena. Quare ſemper ſpectatur honeſtum, vel efficiendum, vel con ſeruandum. Quod ad aliam dubitationem attinet; ſi honor ſumatur pro honeſto, quo- modo ſæpe effectus ſumitur loco cauſæ, & quatenus honor ad honeſtum refertur, licet quidem; imo debemus potius mortem obire, quàm honeſtum deſerere; cum vita ſit bo- num quoddã inferius honeſto; pro quo (vt Euſtratius refert Socrates mortem ſubire voluit. At verò ſi honor ſumatur pro bono illo extrinſeco, & externa ſignificatione, qua ab hominibus propter excellentiam honora mur, reuera non eſt tanti, vt pro eo retinen- do debeamus vitã profundere. Poteſt enim incidere caſus, vt paruipendere, & negligere debeamus hoc extrinſecum bonum pro ma- iori bono retinendo, cuiuſmodi eſt vita, & ho neſtum, cum ſint bona intrinſeca. Quare cum homo propter honeſtum operari de- beat, tanquam pro ſummo bono & ſumma in hac vita felicitate, pro eo debet eſſe paratus vitam profundere. Et ita ſi quis pro illa exter na ſignificatione reuerentiæ retinenda, & cõ- ſeruanda, ſolum depugnet, ac vitæ diſcrimen ſubeat, ineptire meritò videbitur. Colligi- tur præterea ex dictis quòd licèt honor pro- priè ſumptus, magis ſit in honorante, quàm in honorato, & ſecundum hanc rationem me lius ſit honorare, quod eſt agere, quàm ho-

Reſpondet ad ſecundã dubitationẽ

An liceat mortẽ obire propter honorem.

Euſtrat. 1. E h. cap. 5.

Io. Bap. Pig.

Ariſt. 9. Eth. cap. 9. & 1. Eth. cap.

Honor eſt in honorante, & honorato.

norari, quod est pati: tamen pluris facienda est excellentia, & virtus, quæ est in honorato, & quæ digna est honorari, quàm illa honoris datio, qua si quis priuetur, non propterea homines, vt plerique arbitrantur, erunt inglorij, sed non honorati. Quare satis est viro excellenti, & honesto, cum esse, cui iure optimo omnis debeatur reuerentia, & cultus; quo si priuetur, dummodo id non cum infamia fiat, non debet animo ęgro ferre: imo etiam si cum ignominia fiat apud homines, si ad maius bonum expediet, ferre constanter debet, & satis ei esse debebit, si coram Deo sit in honore, & conscientia, nullius culpæ eum reum faciat. Deducimus præterea non recte existimare eos, qui equestrem honorẽ diuersum esse existimant ab honore communi. Arbitrantur enim esse quid distinctum ac solum includere opinionem quamdam, quę inter equites viget, qua quis existimatur nunquàm aut iustitiæ, aut fortitudini, vel (vt loquuntur) valori defuisse. Et satis esse censent honesto equiti, si hanc opinionem de se conseruet; quæ sententia est tam falsa, quàm quæ falsissima; & refellitur, bene ab altero Posseuino. Nam vt inferius demonstrabitur, equestris ordo, ac militaris vita non modo has duas virtutes licèt has præcipue, sed omnes colere debet: & has sine alijs habere cõtinget nemini, cum virtutes omnes, veluti annuli catenæ, inter se connexę sint. Placuit

Honestus homo non debet esse valde solicitus de honore.

Equestrem honorem, non esse qd distinctũ ab honore coi

Fràc. Patrit.

Ant. Poss.

Virtutes sũt inter se connexæ.

nobis

nobis latius de honore disserere, cum eius cognitio maxima cuiuis homini politicam vitam agenti sit necessaria. Nam, vt philosophus in quinto politico, capite tertio, & septimo scribit; qui vident se inhonoratos esse, & alios honore affici, seditionem aggrediuntur. Et in secundo œconomico ita de hac re scribit. Ergo prudentem ignorare non decet, qui parentibus, quiue vxori, & filijs honores cõueniant, vt tribuens vnicuiq; quæ sua sunt, iustus, & sanctus habeatur. Potuissem equidem longa oratione de honore plura, & alio ordine disserere; sed præter institutum ista hic inserta fuissent. Ea tamen attuli, quæ substantiam honoris maxime attingunt. Nunc ad ea, quæ sunt honori affinia explicanda transitum faciamus.

Arist. Honoris nátura cognoscenda.

Arist.

Excusatio.

De fama, gloria, & laude. Cap. 13.

QVò inscitiæ scientia deuenit Attica, vt contumeliam, quæ detestanda potius, ac profliganda erat tanquam Deam (vt Pausanias, & Cicero scribunt) colendam esse statuerit? Quid enim est, quod in rep. maiores dissensiones, digladiationes, incendia excitet, quàm contumelia? Sed quid mirum, si tam imprudenter contumeliam coluerint, qui ἀναίδεια hoc est impudentiæ, diuinos honores tribuendos esse putauerunt? Reijcienda igitur, ac quàm longissimè repellen-

Cõtumelia Dea.

Pausan.

Cicero.

Impudétia Dea.

Cõtumelia detestata.

da

da est ab omni rep. contumelia, tanquam ea, quæ non modo honore', sed & gloria, & fama, quæ bona maxima esse etiam sacræ testantur litteræ, homines spoliare soleat. Cum igitur non raro contingat vt propter iniuriã homines non modo honoris, sed etiam famæ, & gloriæ iacturam patiantur, de earum natura aliquid dicendum esse videtur. Et vt à fama exordiamur: fama indifferenter rumorẽ bonũ, & malũ significare solet: & ideo à scriptoribus cum de bona, vel mala fama loquũtur aliquid additur, quo indicatur in bonam, vel malam partem accipi. Hinc Poeta lib. 4. Æneid.

Fama in bonam, & malam accipit partem.

Verg.

Fama malum, quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget.

Plaut.

Et Plautus in Mostellaria. Ego, si bonam famam mihi seruasso, sat ero diues. Et Ouid. lib. 2. fast.

Ouid.

Et memorem famam, qui bene gessit habet.

Fama quid Glos. cap. vestra de co hab. cl.

Adrian.

Solet autem à quibusdam sic describi. Fama est illæsæ dignitatis status, vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus. Adrianus in materia de restitutione famæ, sic finiuit. Est æstimatio inculpatæ, & bonæ vitæ, quam de aliquo habent homines. At Martinus Nauar. capite decimo octauo, huiusmodi tradit definitionem. Fama est bona existimatio de aliquo, qua putatur bonus, vel habilis in aliquem vsum. Alij putant quidem famam pendere ab opinione, sed præ-

Alia defin.

Nauar. n. 19.

Alia defin.

Zúcculus.

cipuè consistere in voce, quæ particulatim diffunditur ab vno in alium; prout se se occasio offert. Alij dicunt esse notitiam quandam voce diffusam, aut per multa tẽpora aut per multa loca, aut per vtrunq; & addũt esse bonarũ, & malarũ, & indifferentiũ operationũ. Alij putant etiam requiri ad famam, vt sit corũ, qui mortui sunt, quorum bona opinio conseruata est in hominũ memoria per multa secula. At vero Aristoteles in Rhetorica ad Theodectem, sic descripsit famã, quam Eudoxiam appellauit. Bona fama est cum quis studiosus à cunctis existimatur, aut id habere putatur, quod omnes, vel plures, vel probi, vel prudentes expetunt. Quare si famam vniuersè describere voluisset, dixisset; esse opinionem seu notitiam quam quis habet de aliquo: quæ notitia, si sit de aliqua re bona, & de his, quæ Aristoteles enumerat, erit bona fama: si de contrarijs, erit mala. Sed si volumus, aliquo modo cum fama coniungere etiam manifestationem exteriorem, possemus eam sic describere. Fama est opinio, quæ de conditione, & moribus alicuius habetur, signo aliquo expressa. Illa ergo notitia, & illud iudicium, quod quis habet de aliquo, est fama, quæ tunc erit perfecta, quãdo aliquo signo exteriori maximè verbis manifestabitur. Quod autem ista notitia ad plures, vel pauciores, & ad longiora tempora extendatur, non ad essentiam famæ, sed ad

Franc. Patr.

L. 1. cap. 5.

Definitio famę ex Arist.

Alia descriptio famæ.

ma-

magnitudinem eius spectabit. Hanc descriptionem vniuersè traditam, potest quisque traducere ad bonam, & malam famam definiendam, vt ex dictis patet. Ex his conficitur non esse opus addere tam multa definitioni famę, vt aliqui faciunt. Deinde constat errare eos, qui dicunt Aristotelem loco citato definire gloriam: in quem fortasse errorem inciderunt, quod interpretes, eudoxiam, gloriam, & non bonam famam traduxerunt. Patet etiam errare eos, qui putant honorem esse bonam opinionem, cum apertè Aristoteles contrarium sentiat, cuius sententiæ velle contradicere, est errare. Iam verò manifestum quoq; fit ex dictis; famam esse quoddã bonum extra nos positum in aliena voluntate; quo bono priuamur per iudicium temerarium, cum quis sine ratione contrariam de nobis opinionem concipit, & detractione, quæ hunc in modum describi potest. Detractio est ademptio famæ per verba, cum intentione nocendi. Dicitur ademptio, quia detractio est veluti quoddam furtum contra iustitiam. Dicitur, famæ, & non aliarum rerum; vt distinguatur ab alijs vitijs, & maxime à contumelia, & neglecta, quibus aufertur honor, sicuti per detractionem aufertur fama. Dicitur, per verba, vt differat à iudicio temerario; quo de aliquo male sentimus: quia non aufertur fama nisi per signa exteriora: & per verba intelligimus etiam nutus, &

Quorũdam error.

Locus declaratus.

Quorũdam error.

Iudicium temerarium.

Detractio quid.

Declaratio definitionis

Iudicium temerariũ q̃d

alias exteriores significationes. Dicitur cum intentione nocendi, vt excludamus admonitionem, & correctionem fraternam, per quas licèt alterius opinio minuatur: tamen cum non fiat animo nocendi, non erit detractio. Detrahit aliquis duobus modis: primo cum de bona opinione minuit: quod quatuor modis fit, qui hoc carmine continentur. Quibus modis aliquis detrahat.

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatue remissè.

Secundo cum falsum imponitur crimen, his alijs quatuor modis.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertēs.

Verùm non est hic locus scribendi de hac re latius. Nascitur ex dictis, famam, & honorem inter se differre, cum latius pateat honor quàm fama: cum fama manifestata sit pars honoris: & potest quis contumelia affici, & famam non amittere. Vt ecce, si vir sanctissimus, cuius vitæ candor esset apud omnes notus, ab aliquo facinoroso homine in media platea cederetur, fortiter agens contumeliam ferret, non modo non euaderet famosus, sed maximam sibi laudem acquireret. Nanque, vt apud Stobeum ait Palemon, nihil est iucundius, & docto iuro dignius, quā posse ferre conuiciatorem. Quo fit, vt aliud sit restituere famam, aliud verò restituere honorem: illa per laudem, hic per reuerentiam restituitur, qua de re suo disputabitur loco. Quamuis autē honor, & fama distincta sint; interdum tamen, communi vsu loquendi cō-

Honor, & fama differunt.

Potest quis contumelia affici, & famam non amittere.

Stobeus. Palemon

Aliud est restituere famam, aliud restituere honorem.

fun-

funduntur, & vnum pro altero accipitur.
Et hæc pauca quantum ad institutum nostrũ
Gloria quid attinet, de fama dixisse sufficiat. Nunc bre-
Franc. Patr. dialogo de honore. ui de gloria dicamus. Aliqui hoc modo de-
scribunt gloriam. Est vox quædam cum lau-
de mixta, per varia tempora, & loca diffusa
alicuius illustris facinoris. Vnde constat,
gloriam non esse cuiuscunque rei gestæ, sed
debet esse de aliquo singulari, & præclaro fa
cinore; cuiusmodi fuit factum Horatij, &
gesta sanctissimorum apostolorum. Ex qui-
bus apparet gloriam à fama differre. Alij
Franc. Vict. volunt esse supremum, & excedentem hono-
rem exhibitum alicui ob eius operationes,
quæ excedunt humanas vires: ac propterea
aliquid diuini habent: & aiunt, competere vi
uis, & mortuis, sed proprijssime Deo. At
Cicero. Cicero dixit, esse frequentem de aliquo fa-
mam cum laude. Ad quam definitionem ac-
Ambrosius. cedit illa D. Ambrosij, quę ita habet. Glo-
ria est clara notitia cum laude. Oratoriam
quamdam descriptionem videre licet apud
Ciceronem oratione pro Marco Marcello.
Bocchius Symb. 42. Lud. viues. Aliqui per metaphoram eam describentes, di
cunt esse virtutis vmbram, & Crocodilum,
cuius ea est natura, vt fugientem sequatur,
sequentem fugiat. Et hæc de natura gloriæ
breuiter dicta sufficiant. Nunc de laude.
Laudem dictam esse arbitrantur aliqui ἀπὸ
Laus vnde dicta. τῦ λαοῦ à lau, idest à populo; quod laus sit
vox populi, de aliquo recta loquentis. Ali-
qui

qui sic eam definiunt. Laus est imago notitiæ bonæ, quam habemus de aliquo, expressa verbis, valentibus ex se, in animis aliorum gignere eandem bonam notitiam. Sunt qui hoc modo describant. Laus est premium eius boni, quod propter aliud desideratur verbis, datum ijs, qui illud bonum possidet. Casiodorus in psal. 33. scripsit; esse celebre præconium, & frequentatam laudationem. Aphthonius sic finiuit. Oratio bona alicuius enumerans. Aristoteles in Rhet. Est sermo elucidans magnitudinem virtutis. Aut si clarius dicere volumus, est manifestatio excellentiæ alicuius per verba ex affectu voluntatis proficiscens. Iam ex dictis intelligi licet, quid honor à gloria, & laude differat. Nam gloria & laus videntur in verbis consistere: honor autem in omnibus signis, quibus reuerentia explicatur. Item laus, & gloria sunt ex illis bonis, quæ alio referuntur: at honor est circa ea bona, quæ per se expetuntur, vt sunt ipsæ operationes. Hinc est, quod proprie loquendo, dicimus Deo honores tribuendos esse, sed non laudes: licèt non rarò, maxime apud sacras litteras, laus quoq; Deo tribuatur. Hęc omnia, quę hactenus definita, & explicata sunt, hoc ordine constituenda esse censerem, vt primum locum occupet fama, hoc est bona illa existimatio, quam sequitur honor: quia cum nouimus aliquem habere bonam existimationem,

Franc. Patr. Laus quid.

Franc. Vict.

Casiodor. Aphthoni.

Aristot. Melior definitio.

Gloria, & laus quid ab honore differant.

Deo honor tribuit, sed non laus. Arist. 1. Eth.

Ordo bonorum externorum, quæ in aliis possidemus. Fama Honor

Laus. nem, illum honore dignamur: post honorem sequitur laus, quoniam verbis prædicamus, & commendamus eum, quem dignum Gloria. honore esse censemus: post laudẽ deniq; ipsa sequitur gloria. Et sicuti aliqua ratione hæc inter se differunt, vt ex dictis constat, ita etiam cum sint sibi multum affinia, in aliquid In quibus prædicta bona conueniant. conueniunt. Primo in eo consentiunt, quod non sunt virtutes, licèt virtutem sequantur. Deinde omnia ista sunt externa bona, quæ in alijs posita sunt, licèt à nostra virtute pendeant. Denique conueniunt, quod inter bona externa sunt maxima bona, & pluris faProu. 20. Eccl. 41. cienda, quàm diuitiæ, vt prou. 20. Ecclesiastici 41. patet. Explicatis naturis eorum bonorum, quibus per iniuriam, & contumeliam potissimum priuamur, de natura pacis, & reconciliationis, quibus ista bona recuperantur, & iniuriæ tolluntur, disputemus oportet.

De pace, concordia, satisfactione, & vindicta. Cap. 14.

Caritas, legis finis. CARITATEM preceptorum omnium, ac totius legis finem esse, non vno in loco sacra testantur eloquia. Ex quo satis aperte constat, quanta sit eius perfectio; cum quidquid est perfectionis in singulis virtutibus, ad vnam reducatur caritatem. Verùm cum caritatis finis, aut certe fructus, ipsa

pax

pax ſit, vt libro decimo nono de ciuitate Dei capite poſtremo docet Auguſtinus, expediet profectò, quodnã illa ſit cognoſcere; vt vbi eam cognouerimus, inueniamus; & vbi inuẽta fuerit, ſi omniũ virtutum fructũ capere voluerimus, retineamus, ac cõſeruemus. Ad id aũt quod diximus faciendũ, nõ modo preſens nos admonet ratio; verũ etiã tota hæc noſtra tractatio cogit; cum oĩa, quę in ea habentur, ad pacificationẽ ſpectare videantur. Accedit etiam, quod hæc vox, pax, varias habet notiones, & ſpecies, & ſæpe cum cõcordia, & alijs ſimilibus vocibus, & rebus confunditur; & propterea hæc omnia hoc capite explananda erunt: ad quarum rerum explanationẽ aliqua prænotare oportet. Primo illud aduertendũ eſt, pacẽ, & concordiã in eo conuenire, quod ſunt vniones quædam, & conſenſiones; ſed tamen inter ſe differentes. Nam duobus modis poteſt quis eſſe vnitus: vno modo cum alio, dum idem cum illo vult: altero modo ſecum, cum quis omnes animi ſui partes habet vnitas, & in vnum ſpectantes: quomodo non habet ille, cuius caro pugnat aduerſus ſpiritum, & in diuerſas appetitiones rectæ rationi aduerſas rapitur. Concordia includit ſolum illam primam vnionem: pax verò vtrãque, vt is pacem habere dicatur, qui cũ alijs, & ſecum conſentit, & vnitus eſt. Ex quibus iam apparet vna differentia inter pacem, & concordiam. Notandum eſt prætereà, duo-

Pax fructus caritatis. Paulus ad Gal. 5. Auguſt.

Cur de pace agendũ ſit.

In quo pax & cõcordia conueniãt.

Duobus modis poteſt qs eſſe vnitus.

Concordię, pacis vnio, quæ.

Duobus modis homo habet in se dissensionē.

bus modis hominem in seipso habere posse dissensionem: primo quidem quatenus per diuersas appetiones diuersarum partium animæ in diuersa rapitur, vt per voluntatem rectam in vnum, & per appetitum ratione carentem in aliud. Secundo cum per vnam, & eandem appetendi facultatem in diuersa, quæ simul haberi non possunt trahitur. Pax includit vnionem harum appetitionum per rectæ rationis imperium: quam consensionē concordia non includit. Vnde altera appare&t inter ista differentia. Animaduertendum etiam est, parem quandoq; idem valere quod valet concordia, & ita sæpe confundi solent, vt sæpe nos in hac tractatione faciemus. Aliquando sumitur propriè pro animi tranquillitate, quam describens Cicero, dicebat: Pacem esse tranquillam libertatem, quia consistit in quiete appetitus. Interdum verò vsurpatur hæc vox, ad significandam pacificationem, quam etiam reconciliationem, & remissionem vocare solemus, quæ tunc fit, cum aliqui post inimicitiam in gratiam redeunt. Sunt qui dicant, propriè pacem appellari, quando vera pręcesßit iniuria: reconciliationem verò quando nō intercesßit vera iniuria, sed imperfecta, vel præsumpta. Et de pace in hac posteriori significatione accepta, à nobis disputandum erit, & hanc potissimum definiemus. Et quoniam talis pacificatio fieri non solet, nisi satisfactio intercedat,

Pax, quam vnionem includat.

Pax, & concordia pro eodem sępe accipiuntur.

Pax quid Ciceroni.

De qua pace hic agendum sit.

dat,

dat, quid etiam ipsa sit, explanabitur. Nunc venio ad descriptionem earum rerum, quas describendas esse dixi, & à concordiæ etymologia initium capio. Concordia, vt Marco Varroni placet, à cordium dicta est cõgruentia: pax vero vel à parcendo, vt Cassiodorus voluit, vel à pactione vt alijs placet. Satisfactio autem idem valet, quod quantum satis est facio. Concordia ex dictis sic describatur. Est vnio appetituum diuersorum appetentium. Quare cum plures conueniunt in vna re eam appetendo, dicentur concordes: & vnio ista, concordia. Ex quo patet, concordiam posse esse inter impios: & posse esse veram & falsam, pro vt verè, vel fictè consentiunt. Pax in vniuersum sumpta his verbis describitur ab Augustino. Pax est ordinata concordia. Qua definitione describit pacem, quatenus dicit vnionem cum alio. At si proprie sumatur ait, pacem esse trãquillitatem vnius ordinis scilicet vnius appetentis: quam definitionẽ clarius exponens D. Thomas, sic ait. Est vnio appetituum vnius appetentis idest vnius hominis, qui suis appetitionibus vnum appetit. Potest diuidi primo secundum diuersas appetitiones, quarum alterę sunt veri boni: alteræ apparentis boni: vt altera sit pax vera; altera apparens: illa in iustis, hæc in peccatoribus reperitur. Vera pax duplex est: altera perfecta, qualis est illa, qua cœlestes spiritus fruuntur: altera

Concordia vnde dicta. Marc' Varro

Pax vnde dicta. Cassiodorus

Concordia quid. D. Tho. 2. 2. q. 29. art. p.

Pax quid sit August.

Alia definit. Augusti.

Pax quid sit.

Prima diuisio pacis.

Alia diuisio

imperfecta, quam viri pij in hac vita degustant, de qua legendus est Dionysius areopagita, de diuin. no. capite vndecimo. Si autem loquamur de pace, vt quædam reconciliatio est, his modis describi solet. Primo ex Gilberto Abbate. Est iterata animorum dissentientium conciliatio. Albertus magnus in Matthæum. Iterata conciliatio eorum, qui ex ira diuisi fuere. Pigna libro 3. de duello cap. primo. Est firma conuentio inter duos verè inimicos arctissime sancita. Antonius Posseuinus sic definiuit. Iterata vnio animorum dissentientium cum sufficiēti restitutione offensi, & cum minori qua fieri potest læsione existimationis offendentis. Rainaldus corsus, dixit: reconciliare esse interruptam gratiam resarcire, seu conciliatio est pacis restitutio: seu conciliare est ad æqualitatem redire. Reconciliatio differt à pace latius sumpta; quod pax sit naturalis cōcordia: hæc verò concordia pacta. Illa nobiscum nascitur, hæc discordiam supponit. Hinc est quod in sęculo illo primo maxima pax fuit, à qua aurea pace aureum est appellatum. De quo sæculo aliqua habet Tacitus annal. lib. 3. Et Ouidius.

Sponte sua, sine lege fidem, rectumq; colebāt.

Ex his nascitur in reconciliandis inimicis, quantum fieri potest, debere pacificatores conseruare honorem offendentis, quia diminutio honoris illius non pertinet ex se, ad in-

Dion. Arep.
Gylibertus Abbas ser. 32. in cant.
Albertus.
Reconc. qd
Io. Bap. Pig.
Ant. Posseu.
Rainaldus Corsus.
Cic. l. 5. ep. ep. ad Marc.
Cornel. Taciti.
Ouidius.
Admonitio per pacificatores.

instaurandum honorem læsi, & si fieri posset, vt de paruipendentis honore, nihil detraheretur, maxime id conduceret ad pacificationes faciendas, & factas conseruandas. Preterea spectanda est, in hac restitutione æqualitas, quæ vt in prouerbio est; bellum non facit: & vt quidam scripsit; est concordiæ nutrix, & conseruatrix. Adde, quod pertinet ad dignitatem offensi, vt ille quo cum gratiam reconciliat, in honore sit, ne hominem famosum, & inhonoratum, pro amico habere velle videatur. Denique pax non est inuenta ad vindictam, quam affectare videretur is, qui multum de honore restituentis, vellet esse detractum. Satisfactionem vero, quantum ad rem nostram attinet, hoc pacto, quis describeret. Est honoris ablati restitutio, ab eo qui læsit conuenienter facta. Quomodo autem fieri debeat, alibi latius à nobis demõstrabitur. Solet, vt illud obiter dicamus, reconciliatio quibusdã signis exterioribus fieri, veluti osculo, & manuum complexu, qui mos antiquus fuit. Plaut. in Amphitr.

In pacificatione spectãda equalitas

Prouerbium

Pax, non est inuenta ad vidictam.

Satisfactio quid.

Quibus signis fiat reconciliatio.

Plautus.

Et manum prendi, & osculum tetuli tibi.

Cur autem his signis externis fiat, legere poteris apud Rainaldum Corsum, in fine libelli sui de reconciliatione. Et illa ratio est satis congrua; quia his partibus solemus iniuria afficere, vel verberando, vel detrahendo, vel turpiter aliquid faciendo. Vt si quis, simulato oris crepitu, illuderet: aut digitos tur-

Rainaldus Corsus.

Quis fuerit auctor pacis

piter implicaret, ad alterius ſugillationem. Solet etiam quęri, quis primus auctor reconciliationis fuerit: & aliqui inter quos eſt Plinius, Theſeum auctorem faciunt; quod non facile crediderim, cum reconciliationem ad principia legis naturæ ſpectare, nemo inficiari iure poſsit. Quare vnà cum iure gentium natam eſſe exiſtimo. Et quoniam non omnes, qui læſi ſunt, reconciliationem amant, ſed potius vltionem quærunt, de qua facienda eſt ſæpe mentio; propterea ipſa quoque breuiter hoc loco deſcribatur. Baldus in hunc modum definit. Vindicta eſt recontriſtatio offenſoris. Corſus hoc pacto. Iterata iniuria ab eo qui paſſus eſt proficiſcens. Antonius Bernardus, ita Vlciſci eſt ei, qui fecit iniuriam, reddere par pari factis, vel verbis idoneis, & accommodatis ad delendam iniuriam, & ad illud quod perditum eſt recuperādum virtute propria, vt intelligat à quo, & ob quam cauſam id patiatur; aut breuius, cum Ariſtotele, & Virgilio: eſt expletio animi offenſi, ob pœnam ab offendente datam. Et hæc de pace, concordia, reconciliatione, ſatisfactione, & vindicta dixiſſe ſufficiat.

Plinius lib. 7. nat. hiſt.
Polydorus.

Baldus. conſil. 373.
Vindicta qd ſit.

Ant. Bern.

De odio, amore, & ſignis, quibus iſta demonſtrantur. *Cap.* 15.

Cicero.

RECTE ſanè illud Marcus Tullius mihi ſcripſiſſe videtur; nihil eſſe vnum vni

tàm

tàm ſimile, tàm par, quàm omnes inter noſmetipſos ſumus. Quod ſi deprauatio conſuetudinum, ſi opinionum vanitas non imbe cillitatem animorum torqueret, & flecteret, quocunque cœpiſſet, ſui nemo tàm ſimilis eſſet, quàm omnes ſunt omnium. Hoc ſi intelligeretur, cognoſcerent profectò homines, vt ſicuti abſurdum eſt ſibi ipſi odio eſſe, ita & proximum odiſſe, immaniſsimum quid eſſe, animaduerterent. Nam cum alium quis odit, facere nullo modo poſsit, quin in ſeipſum odium habeat: ſi odiſſe nihil aliud eſſe ſentirent, quàm interitum alicuius rei velle; perciperent etiam, ſe cum alios oderint, ſuiipſius interitum deſiderare. Simile eſt, de philautia, qua, vt quidam vir doctus ſcripſit; dum homo omnia ad ſuam vtilitatem trahere conatur, omnia in ſuam perniciem, ac perpetuum cruciatum cõuertit. Deniq; cum nihil excellentius, atque illuſtrius ſit, quàm amor, in quo & in hac & in futura vita noſtra poſita eſt beatitudo, & nihil deterius excogitari poſsit odio, quo vitio tanquã cruciatu ſummo damnati perpetuò laborant, nihil ęque, ac odium vitare deberemus; Verum cum homines ob naturæ corruptelam haud rarò inuidiam concipiãt, & conceptam etiam ſignis externis oſtendere, & declarare non vereantur; de natura ſignorum odij, & amoris, de quibus eſt pręcipua difficultas in hoc noſtro opuſculo, nunc diſputandum eſt; ſi prius

Quam turpe ſit aliquem odiſſe.

Quid ſit odiſſe.

Iacobus Naclantus.

Beatitudo in amore poſita.

quid odium, & amare sit, breuiter aperuerimus. Odium ex August. est vetus ira ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseuerans. Aut breuius cum Cicerone odium est ira inueterata. Vel cum D. Thoma; est dissonantia appetitus rationalis ad apprehensum, vt disconueniens est. Hinc patet differentia quædam inter iram, & odiũ; quod illa posit esse breuis; odium debet esse diuturnum; aut certe aliqua ratione confirmatum. Differunt etiam vt Aristoteles voluit, quod ira est in singulos, odium verò potest esse in vniuersos. Franciscus Philelphus sic de odio sensit. Est ira inueterata, vlciscendi tempus expectans. Vnde Calchas, apud Homerum.

D. August. | Cic. l. 4. Tus. | D. Tho. p. 2. q. 29. ar. 1. 2. | Arist. l. 2. Rhet. c. 4. | Franciscus Philelphus. l. 2.

Homerus

Hic bilem quamquam tum continet, imis
Pectoris: ast odium seruat penetralibus olim
Operiens tempus, culpam quo pœna sequatur.

Amare quid sit ar. 2. rhe. cap. 4.

Amare, vt breui dicam. Est bonum alicui velle gratia illius, atque illud quantum in se est, efficere. Ad signorum explicationem accedentes, signum vt ad rem nostram facit, hoc pacto definire possumus. Signum est aliqua hominis actio, amoris, vel odij demonstratiua. Et si ad hominem offensum contrahere vis, dices. Est hominis offensi actio odij retenti, aut dimisi significatiua.

Signũ qd sit

Declaratio definitionis

Hæc descriptio clara est; in qua vox, actio, latius sumitur, quatenus exempli gratia, tacere, non respõdere, aliquid agere significat.

Si

Si ergo quis vel ſupercilio, vel toruo aſpe-ctu demonſtraret, ſe eſſe male animatum contra aliquem; aut blando ſermone indicaret ſe illum amore proſequi: huiuſmodi actiones dicerentur odij, vel amoris ſigna. Contraximus deinde ad offenſum, quia de ſignis ab eo dandis, aut negandis noſtra eſt diſceptatio. Hæc ſigna poſſunt primò diuidi in ea, quæ re, & operatione aliqua continentur; vt verbis, geſtu: & in ea, quæ potius in quadam priuatione conſiſtunt; vt non indicare viam eam petenti: non reſpondere ſalutanti. Secundò ſignorum alia ſunt communia: alia ſunt ſingularia. Ea dicentur eſſe cõmunia, quæ aliquam ob cauſam tàm amicis, quàm inimicis communem demonſtrantur. Vt ecce. Si quis velit precationem fundere pro proximis, cùm cauſa hæc, quæ ad orandum adducit, ſit communis omnibus; precatio dicetur commune ſignum: & ſi quis orando vellet excludere inimicum, negaret ſignũ commune dilectionis. Item ſi quis vellet eleemoſynam elargiri in egentes, qui ſunt in ciuitate: indigentia eſt cauſa communis etiã inimico indigenti, qui non poterit ſine errore excludi ab eleemoſyna. Sic, ſi quis vellet omnes conſanguineos conuocare ad prandium; conſanguinitas eſſet cauſa communis, quæ inimicum conſanguineum comprætenderet. A communi ſigno amoris, vt eſt communis ſententia, nõ poteſt excludi inimicus.

Prima ſignorum diuiſio

Secunda diuiſio. Signa communia.

Communia ſigna negari nõ poſſũt

Ex

Ex dictis illud conficitur, signa hęc posse esse magis, & minus communia, pro vt causa est magis, vel minus communis; vt patet exēplis paulò ante allatis. Particularia signa sunt quæ ex particulari causa, quæ in aduersario non reperitur, demonstrantur. Verbi causa; mihi est quotidianus vsus cum Francisco: in eum multa beneficia confero, quod de me benemeritus sit: quæ ratio non reperitur in inimico. Sic salutare hostem: inuisere eum dum ęgrotat. Denique quandocunque aliqua beneuolentiæ significatio datur cuipiā, cuius dandæ in inimico nulla reperitur causa, signum dicetur amoris particulare. Iterum signa à principio distribui possunt in tres partes. Quædam sunt omnino communia: quædam singularia; quædam intermedia; seu mixta. Communia, dicentur quæ adhibentur erga populum, aut remp. vt si pro aliquo populo, vel ciuitate lustrationes fierent. Particularia sunt, quæ erga particularem hominem demonstrantur; vt vni Petro in omni re subuenire. Partim vniuersa, partim singularia sunt, quæ vel à natura vel ex consuetudine omnium populorum facta sunt communia, cū nemini ex communi vsu negentur: sed quia erga particularem personam adhibentur, particularia dicentur. Huius generis sunt hæc signa. Ostendere viam petenti: salutantem resalutare: accendere lumen; quæ communia officia esse, Ci-

Corollariū.

Particularia signa quæ.

Alia signorum diuisio.

Signa omnino communia.

Particularia signa.

Signa mixta

cero lib. 1. officiorum docuit. De numero horum signorum arbitramur esse ea signa, quæ petuntur ab ijs, qui se inimicis reconciliare volunt. Perpetua enim, ac diuturno vsu confirmata consuetudine apud omnes populos vsurpatum est, vt effusi odij indicia, debito modo petenti demonstrarentur: factæ enim sunt omni ætate, apud nationes omnes animorum conciliationes, & pacificationes, quo vsu sublato, omnis tollatur societas, quæ pace, & concordia continetur, oportet. Hæc enim est; quę simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accepit teneat, qui perdidit repetat, qui amisit requirat. Non immeritò ergo antiqui ad consensionem retinendam quemque suo nomine salutabant, & salutanti reddebant salutem: ad idque faciendum nomendatore, qui nomina suggereret, vtebantur. Si nomen non suggerebat, dominũ appellabant. Rursus signorum alia sunt idonea ad indicandum odiũ esse depositum: alia verò non sunt idonea. Hæc gratia exempli, non censerentur idonea signa ad demonstrãdum aliquem nõ laborare odio: si vocatus ad cœnã, vbi multi accumberent, ꝓpter scandalum semel, & iterum inimicum accumbentem esset allocutus: similiter si ob eandẽ causam osculum pacis de antiqua consuetudine,

Cicero.

Pacem exteriorem esse de lege naturæ.

Pacis encomium.

Alexand. ab Alex. l. 2. c. 19. dier. gen.

Alia signorum diuisio.

Cyril. Hier. dine de qua Cyrillus Hierosolymitanus, & Tertulianus Tertulianus meminerunt, in Ecclesia daret. Id autem maximè verum esset, si accepta iniuria grauior fuisset, vt multi scribentes, & Faber. speciatim Faber animaduertunt. Idoneum §.fin. instit. de iniur. censeretur indicium, si coram duobus, vel tribus testibus, aut publica scriptura quis se deposuisse odium demonstraret. Illud hoc loco diligenter considerandum est, non *Signa non sunt eodem modo & sẽper sufficientia. omnia signa ratione cuiuscunque loci, & personæ, & temporis esse eodem modo sufficientia: quia aliquod signum, ratione vnius personæ, loci, temporis erit idoneum, & ratione Regula ad cognoscendum, quę signa sint sufficientia. alterius non erit. Regula autem ad cognoscendum, quodnam signum sit idoneum, erit iudicium boni, & prudentis viri, & patriæ consuetudo, quæ hac in re spectanda est. Hanc doctrinam, exemplo à sacra scriptura 2. lib. Reg. cap. 14. petito declarare placet. Cum Absalon, vt est in libris Regum, veniam de perpetrato crimine à patre obtinuisset, concesit pater, vt domum rediret, sed noluit, vt ad se veniret, & faciem suam videret, & ita verbo tenus indicauit odium esse depositum. Fuit hoc signum in patre rege sufficiens, quod fortasse non fuisset in alio: cum Dauid tanquam rex, & pater potuerit facinorosum filium hac pœna punire, ne ad eius conspectum aditum haberet. Aliæ possent fieri signorum partitiones, sed ab illis tanquam minus necessarijs abstineamus breuitas admonet. Contra hęc

quæ

quæ disputata sunt, quis obijceret. Quid causæ est, vt ille qui sua sponte eleemosynam facit omnibus pauperibus suæ ciuitatis, si inimico nihil dare velit, peccet? Nam si in manu eius est, dare, & non dare eleemosynã, & si non det nihil offendit: multo minus peccabit, si de quibusdam bene mereatur, & alijs non faciat iniuriam. Cur si ex benignitate volo bona mea alijs impertire, cui magis placet, gratificari non queo? Ergo licebit mihi, absque offensione excludere aliquos à signo dilectionis communi. Vt hæc dubitatio, quę est maximi momenti, cuius solutio & explicatio est fundamentum multarum veritatum dissoluatur, animaduertendum est; nos esse aliquando, oblique, seu indirectè obligatos ad aliquid faciendum, ad quod aliàs non eramus obligati: vt, ecce. Franciscus non est obligatus ad recitandas preces Beatę Virginis: verum si recitare voluerit, debet ni peccare vult, conuenienter, hoc est, pie, & attente recitare. Est & aliud simile. Est aliquis, qui non est obligatus ingredi religionem, sed si iste vouisset castitatem, & posteà matrimonium de pręsenti contraxisset, is ad vitandum peccatum mortale, quod committet in prima copula, est obligatus religionẽ ingredi. Ex his posita soluitur dubitatio. Quamuis aliquis non sit obligatus in aliquo casu dare eleemosynam pauperibus, qui sunt in ciuitate: tamen quando ex causa paupertatis.

Obiectio quædam.

Sumus obligati interdũ aliquid facere per accidens.

Respondet ad dubitationẽ propositam.

tatis dare volue[rit], debet congruenti ratione dare non exclud[en]do inimicum pauperem. Quare licèt sit liberum non elargiri: tamen non debito modo elargiri, non est liberum, si quis errare noluerit. Pari ratione etsi non sim adstrictus quidpiam efficere, vnde inimicus meus vtilitatem referat: tamen non ideo possum aliquid aliud non facere, ad quod faciendum ero obligatus, ea scilicet de causa, quia hoc, inimico bono erit. Verbi gratia: si sum obligatus facere pacem: non propterea possum, sine peccato non facere, ea re, quod inde aliquid vtilitatis inimico premanabit. His satisfactū sit huic dubitationi, & capiti, in quo quid ira, odium, amare, signum, & quæ eius partitiones sint explicatum est.

Notanda doctrina.

Anacephaleosis.

Propositio.

Nunc antequam ad secundam partem huius tractationis accedamus, in qua veritates, quę ad susceptam materiam explicandam pertinent, afferentur, quosdam libet recensere errores, qui in hac tractatione reperiuntur, illos vt cauere posſimus.

Enumerantur præcipui errores, qui fuerunt circa ea, quę hoc opere tractantur. Cap. 16.

Agricolæ industria.

SOLET rei rusticæ bene peritus agricola, antequam sementem faciat, diligenter agrum à spinis, & tribulis, & omnibus illis rebus, quæ felicem messem impediunt repurgare. Cuius industriam hoc loco sequentes,

errores ſecernemus, quos in hac parte agri dominici, vel inimicus homo, vel erronea hominum doctrina ſeuit, vt veritatis frumentum abſq; zizanijs colligamus; adde etiam, quia vt ait Gregorius Bæticus, ex errorum cognitione manifeſtior veritatis colligitur reſponſio. Primus igitur error fuit olim apud Iudæos, qui ob ipſorum cœcitatem de qua late Paulus Burg. lib. de ſcrutinio, & Galatinus & alij ſcripſerunt; qui ex quadam deprauata ſuorum Rabinorum doctrina, exiſtimarunt licere odio habere inimicum. Nam vt aliqui ſcribunt, Rabbi Moyſes, Rabbi Ioſue, Rabbi Ioanna, & alij ſcribæ dicebant; Deum dediſſe duas leges: vnam ſcriptam in lapidibus: alteram impreſſam in corde ſapientum, & per hanc legem vnum mandatum deduci ex altero, per quam legem ita arguebāt. Si amicitia eſt cauſa dilectionis; inimicitia debet eſſe cauſa odij. Quare inimicus eſt odio habendus. Hunc errorem damnauit Chriſtus dominus apud Matthęum. Audiſtis, quia dictum eſt. Diliges proximum tuum: Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. Secundo errarunt circa hanc materiam, Græci, vt refert Guido Carmelita, qui exiſtimarunt inimicum decipere, nullum eſſe peccatum; quin etiam putarunt, licere ei damnum inferre, etiam ſi quis ad id faciendum periurio, ac mendacio vteretur. Adde & illum errorem eorundem, qui etiam huc

Greg. Bętic.
Paul. Burg.
Galatinus.
Rabbi Moſ.
Rab. Ioſue
Rab. Ioan.
Matth. c. 5.
Secundus error.
Guid. Carm.

huc pertinet; quod arbitrati ſunt, nullam eſſe ſublatæ rei reſtitutionem faciendam ex diuino præcepto; quam ſententiam expugnāt verba diui Cyrilli ſic ſcribentis. Inuenta non reſtituere, dicendo. Deus mihi dedit; eſt peccatum, & rapina. Idem Greg. Neoceſar. can. 4. Tertius error facit Lutheri, vt refert Gabriel Prateolus lib. 10. dum recenſet eius errata. Putauit bonus ille vir, non licere Chriſtianis petere coram iudice iniuriarū reparationem. A quo errore non fuit alienus Scholiaſtes in Sedulium, qui immaginibus hunc errorem inſperſit, male accipiendo locum Pauli prima ad Corinth. capite ſexto. Quartus error illorum, qui affirmant dilectionem inimici eſſe ſemper ſub præcepto, ita vt nunquam ſit ſub conſilio. Hoc ſenſit Lucianus Monachus, in ſuis annotationibus ſuper D. Chryſoſtomi homelia in cap. 12. ad Rom. quem errorem amplexus fuit etiam Caluin. in ſuis inſtitutionibus, & carpit ſacros Theologos dicentes; in aliquo caſu dilectionem inimici eſſe ſub conſilio. Hunc errorem refellit Sixtus Senenſis in ſua bibliotheca. Hebræi quoque irrident conſilia euangelica quos redarguit Burgenſis loco ſupra citato. Vtuntur hæretici illi ad ſuū errorem confirmandū auctoritate D. Chryſoſtomi loco citato, & lib. 1. de compunctione cordis, quo loco ait: dilectionem inimicorum non eſſe cohortationem; ſed iuſſionem

Cyrill' lib. 4 In Leuit.
Greg. Neoceſari.
Tertius error Lutheri.
Gab. Prat.
Ioan. Vſ. Conſt. cōc. ſeſ. 8.
Paul. 1. Cor. cap. 6.
Quartus error.
Lucianus Monachus.
Caluinus.
Sixt' Senēſ.
Paul. Burg.

nem. Afferunt etiam illud D. Aug. ſer. 61. de tempore, vbi ſcribit, loquens de hac dilectione. Dominum non dediſſe conſilium, ſed præceptum. Verum, hi patres ſano modo accipiendi ſunt, vt poſtea dicetur. Quintus omnino deteſtandus error eſt quorundã exiſtimantium licere acceptam iniuriam proprio iure vlciſci, ita vt Deus non potuerit ſibi vindictam reſeruare. Huius erroris meminit Dominicus à Soto libro de iuſtitia, & iure. Sextus error, quem recenſet Gerſon parte ſecunda, tractatu de præceptis, in præcepto Non occides. Sunt qui dicunt non licere quemquam occidere ad ſui defenſionem, & maxime viro probo. Septimo, errauit in hac materia Bart. in l. ſi tibi decem §. 1. ff. de pactis, qui aſſeruit, vt multi ei adſcribunt, non eſſe obligatum offenſum ad deponendum odium, donec iniuriæ remiſſio ab offendente petatur. Quem errorem ſequuti ſunt Ioan. Ananiæ cap. 1. de maledicis nu. 13. Ant. Burgens: cap. 1. columna 1. de empt. & venditione tribuit hunc errorem Bartolo, preter alios, eius elucidator Cardinalis Albanus in hunc locum Bart. nu. 3. Verùm non ſatis aperte videtur Bart. dicere, quod ei adſcribitur. Octauus error eſt Petri Follerij, in ſua praxi canonica de accuſatione porrecta: vbi hæc verba ſcribit. Remittere enim rancorem, & ſatisfactionem iniuriæ iniurianti, eſt potius opus contrariũ

Quintus error.

Dominicus à Soto.

Sext⁹ error. Gerſon.

Septimus error. Bartol.

Ioa. Anani. Ant. Burg.

Card. Alba.

Octauus error. Petrus Foller. nu. 24.

caritati, quàm secundum caritatem. Quæ verba simpliciter accepta continent errorẽ, cum falsissimum sit, esse contra caritatem rãcorem, & satisfactionem remittere. Sed fortasse, non bene mentem suam explicuit, & aliquid aliud voluit. Placuit tamen huius doctrinæ lectorem admonere, ne quis errandi ex eo loco occasionem caperet. Dicit etiam idem auctor, remisso rancore, non posse eũ, qui iniuria affectus est agere criminaliter contra reum & debere omnem querelam remittere, quod etiam à veritate abhorrere suo demonstrabitur loco. Nonus error est eorum qui dicunt, non licere ijs qui odium nõdum effuderunt, recitare dominicam precationem, quod videantur contra se orare; cum dicunt: Dimitte nobis, sicuti & nos dimittimus. Verum vt hunc errorem obiter è mentibus hominum imperitorum eluamus; nihil est, cur isti ab hac oratione abstinere debeant. Nam cum sit quædam oratio communis, & dicatur nomine Ecclesiæ, & eam qui recitant Ecclesiæ personam gerant; & cũ in Ecclesia sit semper caritas, & iniuriarum remissio, vera sunt illa verba, etiam si ab eo, qui iniuriam non remittit dicantur. Quare non debent ab hac oratione abstinere, licèt reuera eis, qui retinent odium, debita à Deo non dimittantur. Decimus error (placet enim inter errores enumerare) est eorum, qui dicunt non esse homines obligatos ad

Non' error.

Etiam iis, qui odium non deponunt, possunt recitare precationem dominicam.

Decimus error, & quo sensu sit censendus error c. 26. declaratur.

danda

danda ſigna extincti odij & ad pacificationẽ exteriorem faciendam; ſed ſolum ad ſalutem ſufficere internum odium abolere; quem errorem refellere in hac noſtra tractatione præcipue intendimus. His, quæ hactenus diximus, ſit explicata prima huius operis pars, in qua, de natura iniuriæ, honoris, famæ, pacis, ſignorum, & de alijs rebus his affinibus diſſeruimus. Nunc ſecundam partem ingrediamur, in qua de inimico amando, & odio non habendo, vindicta, & ſignis amoris, & odij, de pace facienda, de ſatisfactionibus dandis, de reſtitutione honoris, famæ, damnorum, & actione iniuriarum diſputandum erit. Anacephalæoſis.

De quibuſdam diſtinctionibus, & quomodo boni, & mali ſe ament. Cap. 17.

SAPIENTER, vt & alia omnia ſapiens, ac ſanctus vir Clemens Alexandrinus, illud libro ſexto ſtromatum litteris conſignauit. Nominum, & rerum diſtinctionem, magnam lucem animis afferre. Quod ſi vlla in re explicanda diſtinctionibus vtendum eſt, ſanè in actionibus vitæ euoluendis, quoniã cum varijs ſeptæ ſint circunſtantijs, non eſt facile earum naturam enucleare, vt meritò maximam incertitudinem habere philoſophus ſcripſerit. Quam ob rem illud nobis conandum erit, vt varijs diſtinctionibus res

Clemens Alexandrin.

Diſtinctionis vtilitas.

Ariſt.1.Eth.

confusas, & permixtas discernamus. Cum itaque paulo post de amore, & odio inimici disputaturi simus, quasdam priore loco ad hanc materiam declarandam admodum necessarias explicabimus distinctiones. Prima distinctio est Sixti Senensis lib. 6. annotatione ducentisima trigesima nona. Inimici dilectio tres habet gradus. Primus est dilectionis cõmunis, quatenus indifferenter amicos, & inimicos diligere debemus. Secundus dilectionis particularis tàm amici quã inimici extra necesitatem, siue spiritus siue corporis. Tertius est, cum inimicũ, vel amicũ in graui necesitate constitutum speciatim iuuamus. Qua distinctione tradita asserit citatus doctor dilectionem prioris, & posterioris ordinis esse in pręcepto; secundi vero ordinis esse in consilio. Secunda distinctio, cum post illatam, & acceptam iniuriam in affecto hæc omnia reperiantur, scilicet honoris, ac famæ violatio, odium contractum, & signa retenti odij, ac demùm damnum aliquod in bonis corporis, vel externis acceptum; hinc est, quod variæ quoque ab offenso fieri possunt remisiones: veluti remisio odij, remisio actionis iniuriarum: & remisio actionis illati dãni. Prima solet appellari necessaria & sufficiens; cui si addatur secũda, vocabitur plena; si tertiã adiungas, plenisima dicetur remisio. Quare cũ istę remisiones sint omnino diuersæ, expediret, dũ animi conciliantur

Prima distinctio. Sixt. Senen.

Tres amoris gradus.

Secunda distinctio.

Remissiones variæ.

Sufficiens.

Plena

Plenissima.

Admonitio.

irati,

irati, nominatim exponere, quę remiſsio fiat, an prima tantum, an duæ, an omnes: ſic enim tutior eſſet rei conſcientia. Tertia diſtinctio. In eo, qui læſus fuit, relictis actionibus, quas contra offendentem habet, poſſumus conſiderare odium, quo laborat, aut non laborat: præterea amorem, quo debet, aut non debet iniurioſum proſequi, & poſtremo ſigna odij, & amoris, de quibus ſeorſim diuerſis capitibus diſputandum erit. Vt autem id melius præſtare poſsimus, quasdã in fine huius capitis concluſiones adſcribemus de modo, quo boni, & mali ſe ament; quæ res ad quædam alia, quæ hoc opere afferentur, non parum conducet. Quarta diſtinctio; duobus modis poteſt quis diligere inimicum: primo modo, amore elicito, ſeu dilectione producta, dum actu ei deſiderat aliquod bonum: altero modo, parato animo cum ita erga eum eſt affectus, vt ſit paratus, cum ſe ſe occaſio offeret, ei bene velle. Idem de odio eſt dicendum, poſſe aliquem aut re odiſſe, aut habere animum ita affectũ, vt ſit paratus odiſſe. Adde etiam, poſſe quẽpiam, vel ſpeciatim, vel vniuersè amare, vel animum ab inimico alienum habere. Quinta diſtinctio: inimico poſſumus velle, aut nolle duplex bonum, ſpiritale ſcilicet, vt virtutes, & diuina dona, & beatam vitam; & temporale, vt bona corporis, & bona fortunæ. Idem de malo dicas. Malum autem duobus

Tertia diſtinctio.

Quarta diſtinctio.

Quinta diſtinctio.

Duobus modis quis potest desiderare alicui malum.

modis desideratur: vno modo ex odio ad vindictam: altero modo ex amore ad correctionem. Similiter duplex est tempus quo possumus bonum velle amico, vel inimico; alterum qñ est in necessitate constitutus: alterum cum necessitate aliqua non laborat. Sexta distinctio: In inimico hęc animaduertere licet: in primis habitum malum vitij, vt iniustitiæ, crudelitatis, ac etiam culpam: deinde naturam, quatenus est nostri similis, & est imago Dei. Septima distinctio, duplici ex capite debet homo aliquid efficere: primo ex consilio; secundo ex præcepto, quod vel est diuinum, vel naturale, vel humanum. Postrema distinctio: amor duplex est; primus, qui vocatur amor amicitiæ, cum scilicet alicui bene volumus propter vtilitatem ipsius: alter, qui appellatur concupiscentię, quo ideo aliquē amamus, quòd is nobis esse vtilitati solet. Verbi causa; amo Petrum, non quia ei bene volo, sed quia ex eo vtilitatem haurire soleo; ita vt propria vtilitas sit amandi causa: quam amicitiam, mercenariã Cicero appellat. His ita expositis distinctionibus pergamus ad ponendas conclusiones de modo, quo iusti, & impij se amant. Prima conclusio. Vtrique, iusti nempe, & iniqui se se diligunt, differenter tamen: illi secundum interiorem hominem, & quantum ad bona animi: isti vero secundum hominem exteriorem, quantum ad bona corporis: illi

Sexta distinctio.

Septima.

Octaua.

Duplex amor.

Amor amicitiæ quid.

Amor concupiscentię.

Cicero.

Prima conc.

hone-

honestatem, hi voluptatem sequuntur. Secunda conc. Iusti magis se amant, quàm peccatores. Doctrina est Aristotelis in 9. Eth. & D. Augustini de doctrina christiana. Ratio etiam hoc docet; quia iusti maius bonum, scilicet virtutem ipsam, qua in hac vita nihil melius est, sibi volunt mali verbo bonũ vtile, & delectabile, quæ bona non sunt cum vitute conferenda. Tertia conc. Iusti magis amant sua corpora, quàm peccatores; etiam dum illa cruciatibus, ieiunijs, laboribus, conficiunt. Primo quidem, quia corpori maius bonum est subesse rationi, eiq; inseruire, quàm voluptatibus deliniri. Proptercà Plato, vt D. Basilius scriptum reliquit, locum minus salubrem in quo doceret elegit, vt corpus, ob minorem sanitatem minus repugnans haberet, ac propterea facilius rationi obtemperaret. Adde secundo, licèt impij ad tempus velint corpori bonum quoddam, dum illud integrum seruare conantur: tamen viri probi suo corpori æternas illas dotes, nempe agilitatem, claritatem, immortalitatem, quas dotes beatorum corpora habitura sunt, procurant. Hinc fit, impios ad eundem modum se amare, vt animalia rationis expertia se amant, cum solam corporis commoditatem quærant. Quarta conc. Peccatores simpliciter loquendo seipsos non amant, imo odio habent. Est doctrina eorundem doctorum supra citatorum. Hance

Secũda cõc. Aristot. August. l. p. cap. 23. Cic. i parad. Tertia cõc. Prima ratio. D. Basil. Præstat habere corpus minus sanũ. Secunda ratio. Quomodo mali se ament. Aristot. Quarta cõc. Aug. Arist.

Psalm. 10. veritatem potest confirmare ille scripturæ locus. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam, hoc est, se, vel vitam suam. Et Aristoteles; Iucunda quidem exigunt, sed noxia.

Arist.

Tunc enim verè homo se diligit, cum honestum, & virtutem diligit, qua virtute viri improbi vacant. Quamuis autem peccatores dum se peruersè amant, odio se prosequātur: tamen non committunt duplex peccatum; alterum contra caritatem, qua se amare debēt; alterum contra illam virtutem, quam violāt, sed solummodo vnum, contra virtutem; licèt interdum duplex possit intercedere peccatum: vt si quis hac intentione peccaret, sibi vt noceret. Postrema conc. quando boni ex caritate amant inimicos; est quidem amor amicitiæ, sed non amicitia. Amicitia enim non est, nisi vbi est mutuus amor. Quod sit amor amicitiæ patet: quoniam qui ex caritate aliquem amat, eius bonum desiderat, & procurat. His ita traditis distinctionibus, & conclusionibus, ad res ipsas explicandas, quarum explicandarum causa labor est susceptus, propius accedamus.

Peccator dū se inordinate amat, nō committit duo peccata

Secūda cōc.

Amicitia vbi reperiat

De obligatione diligendi inimicos. Cap. 18.

Si caritas, quæ amoris diuini quædam participatio est, eam vim in nobis retineret, quam in ipso Deo, a quo fluit, habet, inimicos diligere haud nobis difficile esset. Namque

Caritas est participatio diuini amoris.

Achilles.

Fert tacitus, viuit, vincit, diuinus amator. Bocchius.
Item.

Ardenti tacitus, fero, viuo, victor in igne.

Tanta est enim diuini amoris efficacitas, vt eos, quos mundanus amor se amare non posse libere fatetur, maxime amet. Propterea Deus pro inimicis suis, hominem fieri, indigna pati, mortem subire atrocem non dubitauit. Et licèt poëta quidam cecinerit. Caritatis diuinæ vis.

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur Ouidius.
Maiestas, & amor.

Tamen diuina sapientia vtrunque pro nobis sapienter copulauit; dum ob summum amorem serui formam accepit, & granditatẽ suam non amisit. Quare si amoris diuini virtutem incitaremur, nihil opus esset pluribus docere quomodo, & qñ, & qua obligatione inimicos diligere debeamus, quod hoc capite iuxta ordinẽ superius positũ nobis faciendum est: super qua re has pono cõclusiones.

Prima conc. De diligendis inimicis habemus præceptũ. Veritas hæc firma fide temeri debet: & cũ certissima sit, paucis probabitur. Prima conc.

Et primo, hanc veritatem is, qui veritas est Christus dominus Matth. c. 5. nos docuit. Diligite inimicos vestros. Nec aliã huius dilectionis rationẽ assignauit: quàm vt simus filij patris. Quasi dixisset; si inimicos nõ dilexeritis, filij patris non eritis. Is autem, qui filius patris non est, filius diaboli propter peccatum est. Quare si quis à peccato vult esse Prima ratio. Matth. 5. Locus explicatus.

se immunis, amet inimicos, si quos habet, necesse est. Accedat auctoritas D. Ioannis apertam sententiam pronuntiantis. Qui odit fratrem manet in morte. Omnes autem inuicem fratres esse, vbi sacra non docent eloquia? in mortem autem solum ij impingunt, qui Dei transgrediuntur mandata. Deinde proximus, vt diuina scriptura iubet, est amandus. At inimicus in proximis est numerandus. Ergo non erit ab amore excludendus. Nomine proximi contineri etiam inimicum, & ex parabola Samaritani, & ex communi scribentium doctrina, aperte constat. Proximus, ait Beda, est omnis homo. Idem Isychius in Leuit. lib. quinto. Clemens Alexandrinus lib. 7. stromatum. Secunda conc. præceptũ de dilectione inimici est naturale. Est hæc doctrina aduersus quosdam, qui arbitrantur esse solum præceptum diuinæ legis, & putant superare omnem rationem naturalẽ quod omnino à vero abest, probatur hæc veritas hoc modo. Ea præcepta dicuntur pertinere ad legem naturę, quę ex primis naturę notionibus, haud obscure deducuntur. At inimicos esse diligendos, non longe à primis naturæ intelligentijs distat. Ergo pertinet ad præcepta naturæ. Quod non absit à primis luminibus nobis à Deo insitis, patet; quia facile deducitur hæc veritas ex illo principio notissimo. Quod tibi vis alteri feceris. Sed natura duce; cupit quilibet, velit

Ioan. p.c. 3.
Matth. 22. Leuit.
Luc. 10.
Beda ad Ro. 13.
Isychius
Clem. Alex.
Secũda cõc.
Inimici diligẽdi sunt ex præcepto naturali.
Prima ratio.
Quæ præcepta sint de lege naturæ.
Amari quilibet, a quolibet cupit.

velit nolit, à quolibet etiam inimicissimo amari: propterea si naturæ congruenter viuere volumus, quilibet debet amare quemlibet. Et sicuti vellemus neminem nos odisse, ita nos neminem odisse debemus: vt quod nobis nolumus, alijs quoque nolimus, quam sententiam tanti fecit Alexander seuerus, Lãpridius scribit, vt in palatio, & operibus publicis passim perscribi iusserit. Accedat secunda probatio; quæ multum momenti habet. Natura inclinat ad amandum sui simile, quod non solum sacræ, sed etiam profanæ tradunt scripturæ. At inimicus est nostri persimilis. Nulla ergo erit ratio cur non sit amandus. Mancipium, inquit Epictetus apud Arianum, recusas sustinere fratrem tuum, qui Iouem habet parentem, tanquam filius ex eadem stirpe generatus, & ex eodem de supernis satu? Arguebat eos, qui seruos errantes non ferunt. Adde auctoritatem Platonis, Senecę, & aliorum sapientum, quorum sententiæ in tertia parte afferentur, cum de remissione iniuriarum, & diligendis inimicis disputabitur. Nascitur primo ex dictis, falsam esse sententiam quorundam, quã videtur approbare Ioan. de Baccone: naturam non esse inclinatam ad diligendum inimicum: cum natura dicatur esse propensa ad id quod recta ratio demonstrat. Colligere secundo licet, hoc præceptum obligare non modo Christianos, sed etiam omnes nationes

Lampridius

Secunda ratio.

Cicero in Lælio.

Cicero l. 1. de legibus.

Arianus l. 1. cap. 13.

Tertia ratio

Corollariũ primum.

Io. Baccon. l. 3. sēt. d. 30.

Secundum.

tiones mundi. Neque enim lex euangelica cōtinet alia præcepta moralia, præter ea, quę ſunt de lege naturę, vt communis tenet Theologorum ſententia. Ex quo patet, præceptum de diligendo inimico eſſe indiſpenſabile, cum non longe diſtet à primis naturæ notionibus. Demum conficitur ex allata doctrina, Seruatorem noſtrum non dediſſe nouum pręceptum de diligendis inimicis: ſed correxiſſe Iudæorum errorem: addidit tamen conſilium ad perfectionem legis gratiæ, vt infra dicetur. Tertia concluſio. Inimici dilectio non eſt ſemper ſub præcepto: ita vt hæc dilectio interdum ſit de conſilio. Volumus hac concluſione refellere errorē quartum ſuperius enumeratum. Confirmatur hæc veritas communi doctorum ſententia, quos doctores inferius cum de pace facienda agam, recenſebo; à qua communi ſententia diſſentire eſt errorem ſequi. Accedit quod neque dilectio amicorum ſemper nos ſub pręcepto obligat: ſed quandoq; in conſilio eſt. Vt, dare eleemoſynam amico non admodum egenti: ſuppeditare ei non neceſſaria: ſæpe cum officij cauſa inuiſere. Quare nec dilectio inimici. Huc pertinet D. Hieronymi ſententia, cum exponit illud: orate pro perſequentibus vos. Dicendum eſt, inquit, Chriſtum non impoſsibilia, ſed perfecta præcipere. Sed iam doceamus oportet, qn̄ præceptum, quando conſilium de diligendo

Tertium. Quartum. Tertia cōc. Cap. 16. Prima ratio Cap. 29. Secunda ratio. D. Hieron.

do inimico habeamus. Quarta conc. Dilectionis præceptum obligat nos sub graui offensione ad diligendos inimicos, in tribus casibus, quos nunc enumerabo. Hæc doctrina communi scribentium calculo est approbata. Primus casus est, vniuersalis dilectio: hoc est, cum quis ex aliqua causa communi diligit proximos, nō debet sub peccato mortali ab ea dilectione excludere inimicos. Secundus, quando proximus inimicus esset in aliqua graui necessitate constitutus, deberet aduersarius ignem caritatis in se, erga proximum grauiter labrantem excitare, nec tanquàm immanis leuita, sine vlla animi commotione, tacitus pertransire. Hinc posset sumi regula quædam ad cognoscendum, an ille, qui dicit se deposuisse odium, & ad recōciliationem exteriorem venire renuit, vere deposuerit: petendo ab eo: an opem ferret inimico admodum egenti: quam, si ait se fore negaturum, signum est, adhuc in pectore odij reliquias ardere. Hac arte prudenter vti consueuit Fuluius Corneus, cum de pace facienda cum aliquo ageret. Ac semel cum quempiam, qui se odium extinxisse aiebat, interrogasset: an si cum ex agro rediret, reperiret in via inimicum suum vix ossibus hærentem, & fame penè erectum, aliquid fructuum, quos in quasillo comportaret ei subministraret? quorum verborum flatu, odij scintillæ in pectore illius sopitę, incensę

Quarta cōc.

Primus casus quo speciatim est amādus inimicus.

Secundus casus.

Luc. 10.

Regula notanda.

Ful. Cornus

foras

foras eruperunt: ac statim inquit: nequaquam: & adiecit; sibi nunquam quid tale dictum fuisse. Tertius casus; debet quisque esse animo ita affecto, vt si casus incideret, & ratio id requireret, peculiari etiam dilectione amaret inimicum. Neque opus est, vt lęsus producat talem actum, quo secum cogitet, & statuat, se velle amare inimicum in tali occasione; sed satis est non habere mentem contrariam. Extra hos casus diligere inimicum, ei beneficia conferre, erit de cōsilio, quod Christus dominus præcepto naturali superaddidit. Placet hanc conclusionem verbis D. Maximi claudere. Iam sæpe dixi, fratres, & frequentius dicere debeo: nemo se circūueniat, nemo se seducat, qui vel vnū hominē in mundo odio habet quidquid Deo in bonis operibus obtulerit, totum perdit: quia non mentitur apostolus. Si tradidero corpus meum ita vt ardeat, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quinta conc. Hæc inimici dilectio debet esse perpetua. Hoc est, non propterea quòd semel & iterum inimicum data occasione quis dilexit, liberatur ab hoc præcepto. Debitum enim dilectionis nunquam persoluitur, sed semper durat; vt nos apostolus epistola ad Romanos capite decimo tertio docet. In quem locum sic scribit Athanasius. Nec existimes velim, si hodie proximo beneuolum te præbuisti, fuisse te ob id beneuolentiæ vinculo

[Margin notes: Terti' casus. — Quando fit de consilio dilectio inimici. — S. Maximus hom. de S. Stephano. — 1. Cor. 13. — Quinta cōc. — Dilectionis debitum nūquam persoluitur. — D. Paulus. — D. Athanas.]

culo liberatum, vt eundem mox in craſtinum negligas: ſed exiſtima, te proximo cuiq; perpetuo amoris vinculo eſſe obligatum. Cur autem debeamus ſemper proximum diligere, eleganter in hunc locum demonſtrat Ægidius. Primò id probat ex parte cauſæ, ob quam debemus proximum diligere, quæ eſt Deus. Deum aũt nunquã ſatis diligere poſſumus, & nullus amandi Deum finis datur; cũ qui infinitus eſt, & infinitè amat, infinitè amari debeat: quam ob rem nec proximi dilectio terminum habebit vllum. Secunda probatio ſumitur ex ratione, ob quam debemus diligere; quæ eſt ſimilitudo naturę, at hæc ſemper permanet. Ergo amor etiam proximi ſemper perſeuerare debet. Tertia ratio ducitur à modo perſoluendi hoc debitum. Nam dum illud perſoluere curamus, magis caritas creſcit, qua aucta, magis amare debemus. Redditio enim ait Theodoretus in hunc locum, debitum multiplicat: ardentiorem enim efficit dilectionem. Nullus ergo amandi terminus eſt conſtituendus. Diximus quando conſilium, quando præceptum habeamus, & à qua lege de diligendo inimico, necnon etiam quàm diu ſit amandus, nunc ſequenti capite, an eum odiſſe aliquando liceat, indicabimus.

Aegidius

Cur perpetuo debeamus proximũ diligere

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio

Theodoret.

intensam, propter maiorem conatum voluntatis. Vt secundum diuersas considerationes altera, altera sit maior. Sed latius de re dubia, & obscura non est hic disputandi locus. Quare ad alia stylum conuertamus.

De defensione sui contra inuadentem. Cap. 21.

CVM omnium rerum, quas parens natura gignit, conseruationem maxime appetat: idcirco in illis vim quandam, qua salutaria expetant, fugiantque contraria, ingenerauit. Hinc est, quod calidum cum frigido, & frigidum cum calido pugnare, & animantes, armis à natura acceptis, vim illatam retundere cernimus. Hæc autem defendendi sui propensio à creatura rationis participe nisi congruenter rationi adhibeatur, facile peccare poterit, cum in hac re transilire lineã facile contingat. Cum ergo homines iniuria lacessiti ius defendendi sui habeant; atque in hac tutela modus sæpe non seruetur, quo pacto quis vim valeat aut debeat propulsare illatam, postquam de odio non contrahendo diximus disputare oportet. Vt autem veritates quas hoc loco afferre volumus, planius percipiantur, quędam animaduertenda sunt. Et primò aduertendum est, defensionem, & vindictam, seu vltionem inter se differre. Etenim defensio est, quæ nos à futura, & imminenti iniuria tuetur: vindicta verò factam, &

Natura omnium rerum conseruationem amat.

Omnia sui conseruationẽ appetũt.

Differentia inter defensionem, & vindictam.

& acceptam vlciſcitur. Similiter vindicta, & vltio interdum diuerſa ſignificant: cum vindicta aliquando pro vindicatione ſumatur, quæ vindicatio pœnas illatæ iniuriæ apud iudicem repoſcit: vltio verò vt plurimum in malam partem accipitur, & vindictam contra ius factam ſonat: licèt non rarò hæ voces confundantur. Aduertendum eſt ſecundo, de communi ſententia doctorum, vt quis ſine culpa ſe defendat, debet id facere cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc eſt, vt dum ſe tuetur, nihil peccet, adhibendo eum modũ, qui rationi conſentiat. Hæc moderatio aliquas conditiones requirit. Primò oportet, vt qui eſt inuaſus nõ offendat, antequam inuadatur, licèt non ſit obligatus expectare magnum impetum; ac propterea non debet habere intentionem occidendi, ſed defendendi ſui. Secundò vt offendat, ſi offenſione opus eſt, in ipſo congreſſu. Tertio quandiu poteſt ſe defendere non occidendo, aut lædendo, id faciat oportet, ſi inculpatè ſe tueri vult. Hoc autem faciet, ſi non maiori vi vim propulſabit: ſi pugnis ceditur, armis non ſe defendat; ſi ſine his ſe defendere poteſt. Denique debet probabiliter exiſtimare, ſe læſum, aut occiſum iri, ſi vim non propulſet illatam. Notandum eſt poſtremo, vindictam fieri poſſe duobus modis: vno modo auctoritate priuata: altero modo auctoritate publica per miniſtros iuſtitiæ; & hoc bifariam

Alber. Bo. l. de leg. cap. 18.

Inculpata tutela quid requirat.

l. p. C. vñui Cap. olim. de reſt. ſpol.

Duplex vindicta.

poteſt

potest contingere; vel ex iustitiæ, & publicæ vtilitatis amore; vel ex odio, & cupiditate vltionis. His ita præmissis, statuo circa defensionem vitæ, & membrorum has conclusiones. Prima conclusio. Defensio est de iure naturæ, canonico, & ciuili. Hoc est, propulsare vim ab iniusto inuasore illatam, omnia iura permittunt, & concedunt. Intelligenda est hæc veritas de inuasione iniusta, & cum moderamine inculpatæ tútelæ. Et est vniuersè vera de quocunque homine siue seculari, siue religioso, perfecto, & imperfecto. Damnatur hac conclusione error quintus capite decimo sexto adscriptus. Hanc veritatem vox ipsius naturæ manifestat, dum naturali propensione omnia statum, conseruationemq; expetunt, ac pro illa depugnant. Hinc poeta quidam.

Prima conc. Cap. sig. 20, de homic. Ioan. de Lignano tract. de bello. Prima ratio ex naturali propẽsione.

Non solum taurus ferit vncis cornibus hostẽ,
Verum & instanti læsa repugnat ouis.

Propertius lib. 2.

Quare si quis cum ratione hanc naturæ propensionem sequatur tuendo se, vitio carebit. Hinc dictatum illud apud omnes legislatores. Vim vi repellere licet: Quod qua ratione accipiendum sit Albertus Bolognettus libro de leg. demonstrat; & late declarat Vasquius. Confirmant hanc veritatem omnes legis naturæ interpretes philosophi. Cicero lib. 1. offic. orat. pro Milone, & luculenter oratione pro Roscio Amerino: Aristoteles, & Plato, & cæteri omnes. Ius pontificium

Albert. Bol. cap. 5. Vasqus. c. 24 nu. 11. c. 18. num. 8.

Inn. 3. c. sig. 2. de hom. Alex. c. si vero de sentētia excom. Clem. vnica de hom. Isidorus P. d. c. Ius naturale. ff. de iust. & Iur.

cium docet nos hanc veritatem, per Innocentianam, Alexandrinam, & Clementinam constitutionem, titulo de homicidio, & de sententia excommunicationis. Diuus Isidorus quinto libro etymologiarum, violentiæ per vim repulsionem asserit esse de lege naturæ. Cæsareum ius eandem propulsationem tanquam iustam concedit in l. vt vim ff. de iustitia, & iure & lege 1. §. vim vi ff. ad legem Aquiliam & C. vnde vi, & ff. de vi & vi armata. Vt vere cecinerit Naso.

Ouidius l. 3. de ar. am. Lodouicus Caner. §. 6. nu. 26.

Armaq; in Armatos sumere iura sinunt.

Legendus est Ludouicus Carrer. in sua practica criminale tit. de homicidio. Hæ autem auctoritates, quæ & iure ciuili desumuntur, valent etiam in foro conscientiæ: in quo errauit Acursius, qui existimauit solum valere in foro contentioso, quem meritò Paulus à Castro, & alij refellunt. Quamobrem qui sic se defendunt, nec peccant, nec puniri debent. Quod si obijcias aliquot statuta, quæ habent hæc verba. Occidens quomodocunque, occidatur. Dicerem, non esse intelligenda de eo, qui se defendendo occidit: cum statuta non possint tollere, quæ sunt de lege naturæ. Ita respondent Lanfrancus de Oriano, Hyppolitus de Marsilijs, & Vasquius. Neque verba illa in statuto sunt otiosa, quia intelliguntur de vero homicido, quomodocunque armis, aut fustibus vel alia ratione facto. Hanc conclusionem ex eo probare licet;

Acursius l. vt vim ff. de iust. Paulus à Castro. Obiectio Responsio Lanfrancus Hyppolytus. Vasquius. Alia ratio

cet; quod si contrarium concedatur, multa inde ebullirent incommoda; quia quilibet quacunque de causa adoriretur quemlibet. Secunda conclusio: vt hæc defensio sit honesta, debet vacare omni desiderio vindictę, & crimine culpatæ tutelæ. Hanc integram conclusionem tradunt Pontifices citati, Innocentius, & Alexander; & patet ex dictis. Tertia conclusio. Dum aliquis se defendit, non debet intendere occisionem; ita vt pro scopo habeat solam defensionem. Ita docet Caietanus, dum declarat doctrinam D. Thomæ in quęstione de homicidio. Nam sola resp. de sententia D. Augustini potest intendere occisionem, quia ad remp. pertinet exterminare scelestos: & ita priuatus homo solum debet intendere defensionem, ad quam habet ius à natura: quod si inde sequatur inuasoris mors, vel mutilatio, erit præter intentionem. Adde si licet intendere mortem: aut quia ille iniustè inuadit: & hanc ob causam non licet; quoniam inuasus non est iudex: vel quia occisio est medium ad tuendam vitam: neque hæc causa est idonea, cum non sit consonum velle aliquem occidere, vt me conseruem, sicuti non licet formicari, vt vitam cōseruem. Quarta conclusio. Qui dicunt licere occidere, dum quis se defendit, quia id videtur facere auctoritate sibi à rep. concessa, errant. Nam id asserunt sine vlla ratione, cum ius ad se defendendum concedatur a iure, & lege natu-

Secūda cōc.

Inno. Alex. c. vt famę de sententia ex com.

Tertia conc.

Caiet. 2. 2. q.

Prima ratio.

Alia ratio.

Quarta cōc.

Quorūdam error.

Ratio.

Alius error.

naturali. Ex quo patet errare eos, qui nolunt omnibus hominibus hanc facultatẽ defendẽdi sui concedere, cũ sit de lege naturæ, quo iure omnes æquo modo gaudent. Quinta conclusio. Non licet præuenire eum, qui aggredi vult, & occidere antequam aggrediatur: ita vt non adsit, vt nostri loquuntur, præuentio formalis, licèt adesse possit materialis. Nam in primis non esset vim vi repellere, sed præuenire in iniquitate. Deinde si hanc facultatem concedas, etiam dum est periculum vitæ propriæ, aperies certè viam ad multa homicidia, & quisque facile finget necessitatem præueniendi. Quare hæc doctrina, de sui defensione, ita est tradenda, vt semper dicamus, non licere præuenire. Sexta conc. Vbi quis accepit iniuriam, vel nocumentum in corpore, non licet post congressum propria auctoritate vindictam sumere, & iura tam diuina quàm humana id iustè prohibuerunt. Est conc. fide tenenda contra impium errorem cap. 16. citatum. Probat hanc conclusionem vsus omnium bene institutarum rerumpub. in quibus certi iudices semper constituti fuere, qui priuatas vindicarent iniurias. Et Deus op. max. in suo populo voluit esse iudices, qui omnem causam definirent. Huc facit illud. Mihi vindictam, & ego retribuam: mihi scilicet vel meo iudici. Deinde Sanctorum doctrina confirmat hanc conclusionem vt Augustini ep. ad Publico-

Quinta cõc. Non licet præuenire aggressorẽ.

Prima ratio

Secunda ratio.

Notandum.

Sexta conc.

Dãnatur error quidam.

Prima ratio.

Exod. 18. 21 22. Deut. 18. 19. 25. Deut. 25. Rom. 13.

23. q. 5. De occidendis.

blicolam D. Gregorij libro ſecundo epiſt. epiſt. 34. Philoſophi quoq; approbant hanc veritatem & maxime Plato dial. 6. de legibus circa medium: & in Crytone apertiſsime. Adde auctoritatem Diocletiani in lege 1. C. Vnde vi. Fac, ſi placet, licere cuique ſe vlciſci: quot quæſo in ciuitate rixæ? quot violentiæ? quot iniuſtitię? quot tumultus, inſidiæ ſingulis horis, & momentis cernerẽtur? Quem modum in ſumenda pœna is, qui perpeſſus eſt inueniret? ſi in propria cauſa exiſteret iudex, & carnifex; maxime quando animus ferueret ira: odium vigeret in pectore. Denique cum vindicta ſit actus iuſtitiæ, ad perſonam publicam pertinebit; & qui propria auctoritate voluerit hoſtem punire contra legem, & rationem agens, homicidium committet, quod & in ſacris litteris, & ſacris concilijs, veluti Ancyrano, Turonico primo, Venetico, Agatenſe, Aurelianenſe quarto, Tribunienſe, & Tiburienſe ac alijs multis, damnatur. Vltima concluſio. Actione iniuriarum licet agere contra reum in foro ciuili, ſi debito modo fiat. Eſt contra errorem tertium ſupra citatum. Probabitur hęc concluſio inferius, cum de actione iniuriarũ inſtituta erit diſputatio. Locus autem Pauli, qui videtur hæreticis fauere, optime declaratur à Sedulio; qui ait, eſſe intelligendũ de illis, qui trahunt fratres ad iudicia extra eccleſiam, quod etiã Anacletus epiſtola tertia

23.q.4.Inter

Plato

Dioclet. ab incommodis ſumpta.

Incommoda ex priuata vindicta.

Alia ratiõ.

Cõcil varia. Ca.22. ca.7. c. 1. can.27. Cap. 27. Cap.1.&c.52

Septima cõcluſio.

Damnatur quidã error

Prima cor.

Sedulius

Anacletus.

tia docuit. Licitam esse sui tuitionem & quomodo sit licita, & quæ vindicta sit iusta, & quæ iniusta, hoc capite demonstrauimus. Sequitur nunc, vt de honoris, & famæ defensione disseramus.

De honoris, & famæ defensione. Cap. 22.

Aug. 11. q. 3. can. nõ sunt.

TANTI faciendam esse bonam famam Diuus existimauit Augustinus, vt libro de bono viduitatis eos, qui famam negligũt, non modo imprudenter, sed etiam crudeliter facere affirmauerit. Cum verò ex altera parte viri grauissimi famæ neglectionem laudauerint.

Seneca

Hieron Vid. l. 4. Christ.

Nec tibi ventosæ sint tanti munera famæ.

Dubitare quis meritò potest; an fama armis defendenda, cum quis eam auferre voluerit; an verò contemnenda sit. Nanque qui legunt.

Vida ibid.

Vana alii certent armis pro laude nocensq;
Ferrum acuant, pulchramq; petant per vulnera mortem.

Proculdubio famæ defensionem non suscipient. Qui verò hæc aduerterit.

Auson. in sent. Thale.

Vita perit mortis, gloria non moritur.

Ouid. l. 3. de trist.

Me tamen extincto, fama superstes erit.

Pro fama vitam profundere non dubitabit. Quam ob rem vt huic dubitationi satisfaciamus, de honoris, & famæ defensione seorsim inquirere oportet. Vt autem breuiter quid

in

vt non modo labia, vt scripsit Cassianus, sed nec intima cordis moueat: vel si aliqua intus sit commotio, eius nullum appareat indiciū. Hanc doctrinam docent nos sacræ litteræ Matthei 5. Lucæ 6. Prima Ioan. 2. & 3. Et sacri Canones 23. q. 4. Ea vindicta. d. 5. de pœn. falsa, & can. fratres. Scholastici omnes 3. d. 30. Summistæ ver. caritas. Canonistæ tit. de iniurijs. Iuris Cęsarij periti §. fin. de iniur. in Institutionibus. & ff. eod. l. non solum §. 1. Secunda conclusio si conceptum fuit odium, extinguere illud oportet, etiam ante petitionem veniæ ab offendente factam. Est conclusio certa fide tenenda, contra errorem septimum superius enumeratum. Hanc doctrinam speciatim tradunt D. Tho. 2. 2. q. 25. art. 8. Antonin. 4. p. tit. 6. c. 4. §. 1. Angel. ver. dilectio §. 2. Cardinalis Alexandrinus d. 90. si quis contristatus. Cardinalis Albanus loco supra citato. Hanc conclusionem eędem auctoritates pro superiori conclusione allatæ probant. Tertia conclusio. Inimicus, vt peccator, hoc est, vt habet habitus prauos, & quatenus culpa infectus est, non est amandus, sed potius odio habendus. Est communis doctrina, & nominatim Scoti d. 30. & summistarum locis citatis. Hoc, inquit Augustinus, est perfecto odio odisse, vt vitio non homines oderis. Quarta conc. natura in inimico non est odio habenda sed amanda. Nam secundum natu-

Cassianus collat. 16. cap. 26.

Secūda cōc.

Cap. 16. D. Thom.

Ant.

Angel.

Card. Alex.

Card. Alba.

Tertia cōc.

August. in psal. 138.

Quarta cōc.

ram est nostri similis, & imago Dei, qua ratione ad eum amandum natura duce compellimur. Adde quod natura est effectus Dei: at Dei opera non possunt odio haberi. Quare inimicus quia homo est, non est odio habendus: & si quid odio haberi potest, est sola malitia quæ non est Dei. Nec vt obiter id dixerim, omnino arduum videri debet hoc naturale, & diuinum præceptum, vt quibusdam videtur. Nam si spectetur dilectio inimici quoad dilectionem communem, qua amare debemus omnes alios, cum causa diligendi sit communis, non videtur admodum durum præceptum. Quantum verò ad particularem dilectionem, quæ apparet paulo difficilior, si res diligenter perpendatur, non omnino ita erit. Quoniam sicuti Deus præcipit mihi vt inimico præstò sim, dum id necessitas, & ratio poscit: ita etiam præcipit omnibus meis inimicis, vt ipsi quoque mihi gratificentur. Quod si velles tuos inimicos diuinum seruare mandatum, ipsa ita docente ratione; tu quoque id seruare velle debebis. Hanc conclusionem cum superiori prɇter cɇteros luculenter tradidit Cassiodorus in psalmum 138. Perfectum inquit odium, est homines diligere, & eorum vitia semper horrere: nã vt in illa parte, qua creatura Dei sunt, amandos esse non dubium est: in illa iniquitate horrendi sunt, in qua se polluerunt. Quare cum Aristoteles à quodam reprehenderetur,

Præceptum de diligẽdis inimicis nõ omnino arduum.

Cassiodorus

Stobeus.

deretur, quod homini iniquo nescio quid pecuniarum dedisset, sapienter respondit: se, non dedisse ἀνθρώπῳ ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ hoc est, non homini, sed humanitati. Quinta conc. Licet velle aliquod malum temporale inimico, propter bonum spirituale illius. Vt ecce. Licet mihi desiderare inimico aduersam valetudinē, vt ei sit occasio resipiscendi. Ad caritatem enim pertinet desiderare alicui detrimentum minoris boni, vt consequatur maius bonum. Non possumus tamen nos illud malum inferre, sed solum cupere, vt vel à rep. vel à Deo inferatur. Hæc doctrina claret. Ad quam confirmandam possunt adduci omnes illę diuinæ legis sententiæ, quæ docent sanctissimos viros suis inimicis hoc genus mala imprecatos fuisse, vt passim in psalmis, videre licet. Sexta conclusio. Licet desiderare alicui mortem corporis simpliciter loquendo, etiam si sciamus fore, vt moriatur in peccato mortali, & hoc propter commune bonum: nunquam tamen intendere licet eius malum spirituale. Declaratur hæc doctrina. Liceret desiderare mortem tyrāno, & Imperatori Turcharum, & hæretico cuipiam, vt resp. tali pestē liberaretur pessima. Nam publicum bonum est magis amandum quàm priuatū, quippe quod vt Aristoteles scripsit, maius existat. Septima conc. Nulli etiam inimicissimo, & sceleratissimo licet desiderare priuationem beati-

Nota Arist. dictum.

Quinta cōc.

Declaratio

Probatio.

Sexta conc.

Declaratio

Publica vtilitas magis amanda.

Septima cō clusio.

Ratio. tudinis, aut æternos cruciatus. Ratio pro hac conclusione in promptu est; quia id esset contra caritatem, quæ nititur in communicatione æternæ felicitatis. Octaua conclusio; salua caritate, non possumus inimico non desiderare bona spiritualia, vt gratiam, & virtutes. Et ita cupere, ne inimicus his bonis potiatur, est grauissima offensio. Nam hæc bona sunt necessaria ad vitam æternam comparandam; & in his bonis consortio consistit Christiana. Postremò ad has conclusiones addendum est, neminem posse sine graui crimine gaudere de detrimento inimici, aut tristari de bono eius, aut velle ei inferre damnum contra ordinem iuris, aut conuenienti ordine, sed ex odio, vt Syluester missis alijs, in aurea rosa scripsit. His igitur conclusionibus huic capiti, ne longum faciamus, satis factum sit. Cum autem soleat inter scribentes illud diligenter requiri: vtra sit potior dilectio, an amici, an inimici, non erit ab instituto nostro, nec ab eo, in quo nũc versamur loco alienum, quid in hac controuersia rationi magis consentaneum sit aperire; idque ea de causa, vt demonstrata præstantia, & excellentia amoris, quo inimicos complectimur, facilius homines ad hanc pręstantissimã actionem exercendam impellantur.

Octaua cõc.

Sylu. tract. 1. casu. 56.

De

De præstantia dilectionis inimici. *Cap.* 20.

VSV non rarò euenire solet, vt homines ab aliqua re agenda idcirco abstineant, quod quàm illustre, & excelsum sit illud, quod agere debent, non intelligant; quod certè in amandis inimicis, cum quãta sit amoris huius excellentia ignorent, persępe accidit. Quare si mentis aciem accuratius in pulchritudinem dilectionis huius intenderent, non minus ab ea allicerentur, quàm à difficultate, quam sentiunt, ab hoc nobilissimo amoris genere retardarentur. Vt igitur quod ad rem nostram facit multũ, possimus iratorum hominum voluntatem ad amandos inimicos flectere, præstantiorem ac potiorem esse inimicorum, quàm amicorum dilectionem demonstrandum suscepimus. Nec me fugit, posse hoc loco multas adhiberi distinctiones, quibus tota hæc res melius enuclearetur: sed quia sunt paulò obscuriores, ab eis abstineo, & rem simpliciter demõstro. Tradimus igitur breuiter hanc conclusionẽ. Cæteris paribus pręstantior, ac potior est inimici, quàm amici dilectio. Dicimus cæteris paribus, quia supponimus in duobus, quorum alter inimicum, alter amicum amet, habitum caritatis eodem modo intensum. Hanc doctrinam in primis auctoritate sacræ paginæ sic confirmo. Primo ex D. Paulo ad

Amare inimicum est quid præstantissimum.

Amare inimicum præstantius est quàm amare amicum.

Prima ratio Paulus.

Rom. cap. quinto. Commendat autem caritatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Ac si diceret: in hoc ostenditur summa Dei caritas, quod pro inimicis suis mortuus sit. Quare cum hæc dilectio sit signum maioris amoris, dilectionem amicorum anteeat necesse est. Et græce, verbo, commendat, respondet, *σονίςημι* synistemi, quod nobilem, & illustrem facere significat, vt Ioannes Gagneus exponit. Matthei cap. 5. perfectio dilectionis ponitur in dilectione inimici. Vt sitis perfecti, vt pater vester perfectus est. Subscribunt huic sententiæ, patrum quorundam auctoritates quædam. Augustinus in Enchir. affirmat, diligere amicos esse incipientium, & proficientium; sed diligere inimicos esse perfectorum, & non contingere nisi post magnam orationem. Gregorius explicans illud Hieremiæ 15. Si steterint Moyses, & Samuel coram me, &c. reddens rationem, cur tantum horum duorum hominum precibus, relictis alijs antiquioribus, se populo parcere velle Deus polliceretur; respondet: quia hi præstantiorem caritatem habuerunt, quod inimicos dilexerint, & pro eis orauerint D. Bernardus exponens illud Ioannis Maiorem caritatem, ac dilectionem nemo habet; quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Tu domine, inquit, maiorem

Locus explicatus.

Ioan. Gagn.

Matth. 5.

August. c. 72

Greg. l. 9. mor. c. 12. & 13.

Ber. ser. de 4. feria heb. sanc.

iorem habuisti, quod pro tuis inimicis animam posuisti. Glossa, in illud Matthei de dilectione inimici, ait. Attende ad quantam caritatis perfectionem nos prouheit, vt diligamus inimicos. Huc facit, quod eodem loco dilectio inimici secundum aliquem gradum datur sub consilio, & de dilectione amici dicitur, reperiri etiam in publicanis. Accedat etiam auctoritas scholasticorum Alex. Alens. Alberti Magni, D. Bonauenturæ, Durandi in 3. sent. d. trigesima: quos sequuntur Stephanus Bulifer in q. 6. Nicolaus de Nissa, q. 3. tractatu de caritate. Ioan. Nider in suo præceptorio in quintū præceptum. Nec parum momenti habet hęc ratio ad confirmādam hanc veritatē, quod actus dilectionis inimici est longe difficilior, & eget maiori conatu voluntatis operantis, vt producatur cum ęquali habitu. Difficultas aūt, quę sentitur in agendo, quando non oritur ex parte imperfectionis agentis, sed à difficultate actus auget sine dubio rationem meriti. Virtus enim circa difficile versatur, & difficultas ex parte obiecti, circa quod actus versatur, multum valet ad eius præstantiam amplificandam in genere moris.

Glosſ.

Alex. Alen. 3. p.

Alber. Mag.

D. Bonau.

Stephanus Bulifer.

Nicolaus de Niſſa.

Ioan. Nider.

Alia ratio.

Ardua virtutem profert via, pergite primi. Sillius l. 4.

Fauet etiam & illa ratio huic sententiæ. Certa est doctrina apud omnes, rationem primariam, & per se, diligendi proximum esse Deum: caritate enim omnia amamus pro-

Alia ratio.

in hac re sentiendum sit explicem, has conclusiones pono. Prima conc. Falsum est, si quis simpliciter dicat semper, & in omni casu nos debere honorem, & famam defendere. Ratio huius veritatis est; quia interdum maximo cum merito negligi possunt, idque Christi Seruatoris, & sanctorum exemplo. Adde etiam; quoniam interdum possumus non defendere vitam, quæ tamen est maius bonum, quàm fama. Ergo poterimus quoque non tueri famam, cum id ratio postulare videbitur. Secunda conclusio. Nemo etiam si sit è numero eorum, qui militarem artem profitentur, est obligatus prodire in duellum, cum ab aliquo prouocatur, & si faciet, peccabit grauissime. Quare debet se continere domi, & non prodire in arenam. Est hęc conc. contra sententiam Gerardi asserentis prouocatum debere exire, nè videatur famam suam negligere. Verùm nostræ conclusioni suffragatur communis scribentium opinio. Ita Sotus, Vasquius, Couaruuias, & alij. Et probabitur inferius, cum impugnabimus duellum. Neque hìc contrahitur vera infamia, sed commentitia, quam stultus, vt in omni alia re, vulgus confinxit. Vnde vida.

Prima conc.

Ratio.

Alia ratio.

Secũda cõc.

Gerardi sententia damnata.

Prima ratio.

Cap. 40.

Parcite: rumoresq; vagos contemnite vulgi.
Quare sapienter Octauianus August. respondit Marco Antonio, ad duellum prouocanti: plures alias vias patere ad mortem. Tertia

Vida.

Octau. Aug. responsio.

Tertia conc. conclusio. Clerici si possunt fugam arripere, dum quis vult eos honore spoliare percutiendo, debent se dare in pedes, & non se contentiosè defendere. Est doctrina communis Nauar. Couar. & Ioannis Brunelli in relectione de homicidio. Nam ex fuga clericus nullam contrahit ignominiam. Idem dicunt doctores, de homine inferioris notæ, & de senibus.

Prima ratio.

Ioan. Brun.

Quarta cõc. Quarta conclusio. Quando quis non potest alia ratione honorem suum defendere, quàm lędendo, vel occidendo inuasorem; hac ratione defendere licebit. Vt ecce; si non posset commodè fugam capere, vel si fuga esset valde periculosa. Fingamus Franciscum velle me fustibus cædere, vt ignominia me afficiat, & nulla alia ratione me posse consulere honori meo, nisi eum lædendo, vel occidendo, possum sine culpa Franciscum occidere. Hoc in primis patet ex communi doctorum sententia. Deinde licet ex meliori sententia, pro defensione bonorum externorum, interficere furem, cum alio modo bona nostra defendere nequimus: multo magis licebit defendere honorem, cum sit maius bonum. Hæc conclusio non modo est vera de laicis, sed etiam de clericis, cum hæc defensio sit de iure naturæ, quo gaudent clerici, vt laici.

Declaratio cõclusionis

Prima ratio.

Alia ratio.

Quinta cõc. Quinta conclusio. Si aliquis vir nobilis, & honestus inuaderetur ab aliquo, qui vellet ei honorem auferre, non est obligatus fugere, si ex fuga notabilis infamia oriretur; sed

potest defendendo repellere iniuriam. Fauet huic conclusioni communior scribentiũ opinio, quam quis tuta conscientia sequi potest. Ita tradunt Panormit. Victoria, Sotus Nauar. Vasquius locis citatis. Bartolus, Baldus, Salicetus, Decius l. 1. C. Vt vim. Deinde ratio quoque hanc conclusionem cõfirmat; Quoniam si fugiet prꝫterquam quod honorem amittet, multa etiam damna, & detrimẽta in bonis fortunæ accipiet, dum apud principes & viros illustres inhonoratus, & effeminatus habebitur. Quare poterit se tuendo, hæc bona sibi conseruare. Adde, quod posset artifex illustris famam, quam sibi arte & industria sua parauit, pugnando defendere. Quare etiam vir nobilis & fortis suam existimationem quam de virtute fortitudinis habet, poterit ad manus veniendo cõseruare. Verum concedant mihi philosophiam Christianam tractanti, Christiani lectores, quod sentio, aperire. Licet ergo communem sententiam probabilem esse existimem, atque posse quemlibet tuta consciẽtia eam sequi: tamen magis accedere ad veritatem Christianam existimarem, etiam viros graues debere potius se retrahendo iniuriam vitare, quàm defendendo inuadentem occidere. Hanc doctrinam cum dubitatione tamen, tradidit Couaruuias in Clem. si furiosus parte tertia §. vnico nu. 4. & citat Alexand. in consilio 119. & Carolum Molineũ:

Prima ratio. à communi opinione. Victoria.

Secunda rã.

Tertia ratio

Contraria sententia insinuatur. Viros nobiles debere fugere cum possint potius quam resistendo occidere inuasorem.

Prima rõ ab auctoritate ducta. Alexand. Carol. Mulin.

aiunt hanc defensionem, cum quis eam vitare potest, & non vitat, esse immoderatam, inhumanam, barbaris potius quàm viro prudenti, & Christiano dignã. Et Ioannes Brunellus in repetitione de homicidio, cum latè probasset viros nobiles non esse obligatos ad fugiendum, asserit id esse intelligendum in foro contentioso; & certè Iurisperiti, qui prò contraria citantur sententia, intelligi possunt de foro contentioso. Et Clementina constitutio solum eum liberat ab irregularitate, qui mortem alia ratione vitare non potest: quasi diceret: si aliter euitare valeat, in irregularitatem incidet, ob culpam scilicet, quã tum committet. Et Gerson in compendio Theologiæ declarans quintum præceptum, ad honestam defensionem requirit necessitatem ineuitabilem. De hac irregularitate, si quis multa noscere cupit, legat Couar. loco citato. Deinde non debet haberi timidus, qui ex Christiana caritate agens, saluti proximi consulit. Cur vir Christianus non debebit Aristippi virtutem æquare? Hic nanque cum à quodam contumelia afficeretur, secedebat: maledico autem prosequente, ac dicente; fugis? etiam inquit. Nam tu maledicendi potestatem habes: ego verò non audiendi. Et re vera honor iste, qui constituitur in non fugiendo, videtur fictitius, nec in virtute fundatus, nec ad bonos mores, & rei pub. vtilitatem pertinere. Honor autem, qui

Io. Brunell. part. 3. n. 75.

Locus perpenditur.

Gerson p. 3.

Couar.

Alia ratio.

Aristippi. Exemplum notandum.

vel

vel propter Deum, aut proximi vtilitatem non appetitur, honor non est. Et philosophus, eos qui propter honorem fortia faciũt, asserit non esse fortes, quod facere videntur ij, qui magis hanc fictam opinionem conseruare, quàm vtilitati æternæ proximi consulere volunt. Adde, quod non satis bene defendi poterit opinio verissima, de qua supra diximus; non licere prouocato ad pugnam in arenam descendere, si concedamus non posse vitari iniuriam, saluo honore, se retrahendo. Quam ob rem tunc solum vir nobilis, & fortis infamiæ notam contraheret, si in bello honesto constitutus, aut in ea occasione, in qua deberet, virtutem fortitudinis ad iustitiam, & honestatem retinẽdam exercere, fugeret. Volui hæc pauca adscribere, vt alijs de hac re disputandi latiùs campum aperirem. Sexta conc. Post acceptam iniuriam & inflictam plagam, non licet inimicum fugientem persequi ad recuperandum honorem. Est hæc conclusio contra sententiam Nauar. pro cõmuniori opinione, quam sequitur Richar. in 3. sent. d. 37. Et Gerson in quintum præceptum ait; non licere insequi, aut vbi cessauit repercutere, quia non est propulsatio. Hæc conclusio sic probatur. Primò quia non potest honor ablatus recuperari hac ratione, cum per vindictam, cuiusmodi est ista fugientem percutere, potius amittatur. Quod sit vindicta cõstat, quia insequi ad per-

D.Tho.2.2. q.131.art.1.
Arist.3.Eth.
Tertia ratio
Vir fortis quãdo amittat honorẽ.
Sexta conc.
Nauar. cap.15.nu.
Richar.
Gerson.
Prima ratio.

cutiendum, non est propulsatio, aut defensio, quam solam natura concedit, & non differt ab aperta iniuria nisi tempore. Deinde famam, quam posset per te acquirere insequendo, non est vera, sed fucata, & commentitia, cum non sit fundata in virtute. Adde quod defensio non est nisi in ipso congressu, & consistit in sola propulsatione, vt ait Gerson. Quod si dicas, hunc esse actum iustitiæ, non secus ac si quis furem sequeretur, vt rem ab ipso surreptam recuperaret. Dicerem in primis hunc actum iustitiæ pertinere ad iudicem. Deinde non est par ratio de fure, & iniuriam inferente; quoniam qui iniuriam facit, non fert secum honorem tuum, vti fur rem tuam. Septimá conc. Mulier ad defensionem castitatis, si alia ratione pudori suo consulere nequit, potest inuadentem occidere: maxime quando esset periculum, ne in actum turpem consentiret. Doctrina hęc est Caiet. & probatur ratione apertissima: quia hic de honore, & corporis integritate agitur, ad quæ defendenda ius habet. Quod si dicas: non potest auferri castitas sine consensu, quem potest non præstare. Dicerem esse valde periculosum, ne consentiat, & poterit defendendo se ab hoc periculo liberare. Deinde potest defendere corporis integritatem, & munditiam, quæ quoddam bonum est. Et hæc de defensione honoris disputata sint, ex quibus multi casus, qui quotidie

Marginalia: Secunda rō. — Tertia ratio — Obiectio. — Solutio. — Alia ratio. — Septima cō clusio. — Caietan. — Ratio. — Obiectio. — Solutio. — Alia solutio

tidie incidere possunt cuique resoluere licebit. Sed quoniam de me quis quæreret: an liceat interdum permittere se occidi, & an simus obligati alios ab inuasoribus tueri, de hac re huic capiti modum imponentes in sequenti disputabimus capite.

An liceat permittere se occidi, & de defensione aliorum. Cap. 23.

NON male prorsus, sicuti non omnino bene, philosophi illi mihi sensisse videntur, qui fortitudinem scientiam rerum tollerandarũ & non tollerandarum esse existimarunt. Nam licèt reuera virtutes scientiæ non sint: tñ vt de fortitudine speciatim loquamur, ad eã recte exercendam, qñ vita propter honestatem sit ponenda, aut non ponenda, scire necesse est. Id enim si ignoretur non rarò eueniet; vt dum quis fortiter agere nititur, in errorem labatur. Cum ergo superius demonstratum sit, defensionem vitæ propriæ nobis lege naturæ esse concessam, facile quis existimaret nunquam nos posse, aut debere permittere, nos occidi, aut pro alio vitam ponere, quæ duo hoc capite breuiter explicare intendimus. Vt autem id faciamus, aduertendum est; duplicem posse esse inuasorem; alterum iniustum, qui contra iustitiã inuadit, alterum iustum, qui ius habet inuadendi, sicuti minister iustitiæ, qui capite damnatum ferro petit. Rursus aut inuasor est persona pu-

Aulus gel. l. 12. C. 5.

Aristot.

Duplex inuasor.

blica, veluti princeps, aut persona priuata.

Duplex defensio.

Aduertendum est etiam, defensionem duplicem esse: alteram simplicem sine impugnatione per solam fugam: alteram contentiosam, interueniente pugna. His ita constitutis, ad dubitationes propositas sic respondemus.

Prima conc.

Prima conc. Quando aliquis iuste inuaditur, non potest se defendere, defensione contentiosa lædendo inuadentē sine peccato graui. Quare si pater filium, maritus vxorem, carnifex reum iuste verberarent, isti qui læduntur, non possunt se contentiosa defensione tueri. Doctrina est manifesta, & probatione non eget.

Secūda cōc.

Secunda conc. Qui iustè inuaduntur, possunt se defendere fugiendo. Nam quilibet habet ius defendēdi se, cum sine iniuria id facere licet.

Tertia conc.

Tertia conc. Si quis innocens inuaderetur à iudice, & ministris, qui bona fide putant se iustè inuadere, posset omnino fugere. Ratio est, quoniam potest iustè se defendere, cum reuera iniustè inuadatur. Non tamen ei liceret ministros necare, si putat illos existimare, inuasionem esse iustam: & multo minus liceret, si non inuadendo, sed per fraudem, & falsos testes mortem ei machinarentur, quoniam tunc deberet ad alia remedia confugere.

Sotus lib. 5. quęst. 1.

Quarta cōc.

Quarta conclusio. Aliquando licitum est non se defendere per fugam: vt cum quis iustè inuaditur à iudice, potest non fugere, & permittere se occidi. Est conc. Contra quosdam, qui aliter

ter ſentiunt. Ratio eſt in promptu; quia, hoc eſt velle conſentire iuſtitiæ. Hinc eſt, quod ſi quis ad acquirendam palmam martyrij non fugiat, quamuis poſsit fugere, non peccat; quoniam confeſsio fidei eſt bona. Neque obſtat quidquam, quod videatur, qui ſic ſe gerit, cauſa ſuæ mortis: quia non fugere, non eſt ex ſe cauſa mortis. Et per has concluſiones ſatis factum ſit huic dubitationi quantum ad iuſtam inuaſionem. Nunc de iniuſta dicamus. Quinta concluſio. Quando aliquis iniuſtè inuaditur, ſemper ei licebit fugere ex ſua natura: licèt ex accidenti poſsit eſſe illicitum. Quod liceat fugere, patet expreſſe: quia dum quis fugit, ex ſe nemini facit iniuriam. Quod interdum non liceat, ſic probatur. Nam ſi exempli gratia inuaſor eſſet inimicus fidei, & ob fugam labe factaretur fides, ac vituperaretur religio, vtique non liceret. Similiter, ſi inuaſus eſſet perſona publica, & vtilis reip. & inuaſor inutilis, ille non deberet fugere. Sed ſe defendere. Sexta conc. Si aliquis inuaderetur à perſona priuata, & ſciret ſe eſſe in peccato mortali, aut dubitaret de ſua contritione, an eſſet ſufficiens ad tollendum peccatum, peccaret mortaliter, ſi ſineret ſe occidi, cum poſſit, etiam occidendo, ſe defendere ab iniuſto inuaſore. Ratio eſt aperta, quia ſalus animę eſt pręferenda omni bono humano, & ſaluti alterius. Septima concluſio. Si inuaſus non

Remouetur obiectio.

Quinta cōc.

Sexta conc.

Ratio.

Septima cō cluſio.

timeret de sua salute,& si licitè posit contra inuadentem se defendere: tamen potest permittere se occidi. Est vera doctrina, licet aliqui contra sentiant. Primo hoc patet exemplo Christi, qui etiam pro inimicis vitam posuit: & D. Paulus cupiebat anathema esse à Christo pro fratribus suis: hoc est: optabat suo quouis malo placare iram Dei contra Hebræos, etiam eo modo, quo apud Numantinos ille, qui lapidibus obruebatur; cuius morte omnia ciuitatis scelera se expiare arbitrabantur. Idem confirmat omnium sapientum auctoritas; & speciatim Marcus Tullius in Lælio, ita de hac re scribit. Pylades cum sis, dices te esse Orestem, vt moriare pro amico. Hinc Manilius.

Abul. in Iosa.

Rom. 9.

Locus explicatus.

Legendus. Rauisius p. 2.

Manilius.

Vnus erat Pylades, vnus qui mallet Orestes
Ipse mori, lis vna fuit pericula mortis
Alter quod raperet fatum, non cederet alter.

Quare si inuasus esset in peccato mortali, & posset habere contritionem de suis peccatis, liceret ei permittere se necari: & credendum est, Deum in hoc casu daturum maximum auxilium, vt plene de peccato posset tristari, dum tam egregium caritatis actum inuasus exercet. Octaua conclusio. Si inuasus esset persona priuata, & inuasor publica, vel persona superior, puta pater, dominus, Princeps, potest etiam si sit sine peccato mortali, se defendere cum impugnatione, & si aliter vitæ, & honori suo consulere nequit, potest occi-

Notandum.

Octaua cõc.

occidere. Est doctrina contra sententiam Soti. Nostra autem opinio confirmatur ex his quæ docet Gerson lectione tertia de vita spirituali animæ. Asserit enim potestatem superiorum nihil posse contra legem naturalem,& diuinam; & eis datam esse ad ædificationẽ,non destructionẽ; legendus est locus. Idem docet Vasquius qui impugnat Sotum. Deinde vt supra probatũ est; defensio est de lege naturæ,& ita si quis se defendat etiã contra principem cum moderata tutela,non peccabit. Adde quòd si nostra lex hoc vetaret, videretur nimis dura. Postremò licet his personis multum debeamus: tamen in tali casu, cum tanquam personæ publicæ, ad quas inferiorum vitam defendere pertinet,non se gerunt, facultate nobis à natura concessa, vti possumus. Sotus Gerson part. 3. Vasquius. Alia ratio. Alia ratio. Alia ratio.

Vim temperatam Dei quoque prouehunt
In maius, iidem odere vires
Omne nefas, animo mouentes. Horat. l. 3. od. 4.

Cæterum sententia Soti posset fortasse tunc habere locum, cum à principis vita omnino reip. salus penderet, quod tamen rarò continget; cum alium principem in locum demortui sufficere liceat. Quantum ad obligationem defendendi alios statuimus hanc conclusionem. Non solum possumus,sed etiam sumus obligati propulsare iniuriam,& nocumenta quæ inferuntur proximo, etiam occidendo, modo sit inculpata tutela. Cessaret Vltima cõc.

tamen

tamen obligatio, quando inde nobis, aut alijs maius oriretur malum. Hanc veritatem confirmat factum Moysis, qui vt fratrem defenderet Iudæum, inuasorem necauit ægyptium. Et in prouerbijs sapiens monet, vt eripiamus eum, qui ducitur ad mortem. Adde auctoritatem Ambrosij sic scribentis. Qui non repellit à Socio iniuriam, si potest, tàm in vitio est, quàm ille, qui facit. Lege Gratianum. 23. q. 3. Accedant philosophi omnes, Plato, Cicero, & reliqui, qui hanc veritatem docent; quam confirmat tritum illud prouerbium, de quo Polydorus initio libri prouerbiorum. ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. hoc est; homo homini Deus, fauctor scilicet & vindex. Huc facit, quod refert Ælianus de tribus adolescentibus Delphos ad consulendum Oraculum iter facientibus, qui in latrones inciderunt, quorum vnus fuga eos declinauit: alius reliquis interfectis in superstitem ineptum faciens, à latrone aberrauit, & socium percussit: fugienti tale responsum datum fuit.

Probatio. Exod. 2. Alia ratio. Gratianus. Polidorus. Plinius l. 2. cap. 7. Ælianus l. 3.

Occidi socium præsens es passus amicum,
Non tibi vaticinor, sacro te proripe templo.

Alter, qui defendere curauit, & nolens necauit, tale responsum accepit.

Defendens socium, verso mucrone necasti
Purior es manibus nūc, quā prius esse solebas.

Quando igitur liceat, aut non liceat permittere se occidi, & an obligati simus alios defen-

ſendere, cum explicuerim, ne nimius in re, quæ fuſius tractari potuiſſet, ſim; ad ſigna, quibus poſt defenſionem, & iniuriam acceptam debemus indicare nos non laborare odio, declaranda tranſitum faciamus.

Quibus ſignis, & quando amor erga inimicos ſit demonſtrandus. Cap. 24.

BEATVM eum eſſe aiebat Sāctus Ephrē, qui flamma diuinæ caritatis incenſus, ſordidas omnes cogitationes, & animæ ſuę inquinamenta combuſsit. Cum enim caritatis ignis omnia peccata, & peccatorum omnium reliquias omnes cōſummauerit, homo vnum quid cum Deo, & quaſi ignis omnia comburens, qualis eſt Deus, efficitur. Etenim vbi totum, quod intus erat combuſsit, extrinſecus erumpit, ſeque alios inflammando, prodit. Quo fit, vt ſi quis exiſtimat in ſe amorem habere diuinum, illum per ſigna demonſtret neceſſe ſit. Qua autem ratione, & quando id facere quis debeat, hoc capite aperire nitemur, ſi ordinem, quem hac in parte ſecuturi ſumus, prius aperuerimus. Primo de ſignis tàm vniuerſalibus quàm particularibus agemus. Secundo quando ſpeciatim debeamus ex præcepto oſtendere inimico ſingularia ſigna dilectionis, aperiemus. Tertio quando facienda ſit pax per ſigna exteriora. Et demùm quibus ſit facienda ſignis indicabi-

Ephrem

Caritatis vis, & effectus.

biinus. Primam partem auſpicantes, has cō-
Prima cōc. cluſiones ponimus. Prima concluſio. Signa vniuerſalia dilectionis non ſunt neganda
Declaratio. inimico etiam ante veniæ petitionem. Remanet declarata hæc concluſio, ex his quæ ſcripſimus capite decimo quinto: & ita eſt intelligenda de ſignis vniuerſalibus ſimpliciter. Iuxta hanc doctrinam accipiendi ſunt, qui in vniuerſum de ſignis loquentes, dicunt affectum eſſe obligatum oſtendere ſigna dilectionis, non contrahēdo doctrinam ad particularem caſum, quādo petitur pacificatio.
Conciliantur doctores Ex qua animaduerſione conciliare poteris ſcribentes, quorum alij dicunt offenſum debere oſtendere ſignis, ſe dimiſiſſe odium, ante veniæ petitionem: alij verò non niſi poſt petitam veniam: illi de vniuerſalibus ſimpliciter: hi de particularibus ſeu mixtis intelligendi ſunt. Veritas hæc confirmatur primo,
Prima ratio. communi doctorum ſententia in 3. ſent. d. 30. & ver. caritas, & ver. dilectio, & ver.
Secunda rō. odium. Deinde, vt ex dictis conſtat, quilibet debet generali dilectione ſub capitali culpa inimicum diligere. Ergo non poteſt vniuerſale ſignum amoris denegare. Deum.n. imitari debemus, qui ſolem ſuum facit oriri
Matth. 6. Caietan. ſupra bonos, & malos: hoc eſt, vt ait Caietanus beneficia communia non ſubtrahit. Ad-
Tertia ratio de, quod ſi quis negaret hæc ſigna, præberet cauſam idoneā aduerſario concipiendi odiū, & male ſentiendi de eius voluntate, quod

graui

grauí culpa non vacaret. Secunda conclu- Secūda cõc.
ſio; nemo ex ſe, ſuaq; natura eſt obligatus de-
monſtrare ſigna particularia dilectionis ſuo
aduerſario. Approbatur hæc concluſio com- Prima ratio
muni doctorum ſuffragio D. Tho. D. Bo- D. Thom. Bonau.
nau. Caiet. & aliorum locis ſupra citatis. Nicolaus
Adde hanc rationem. Nemo eſt obligatus Barian. ſer. in 6. fer.
maiora officia præſtare inimico quàm amico Secunda ro.
ex ſua natura. Sed hæc ſigna poſſunt ſalua
amicitia, negari amico. Poterunt igitur &
inimico negari. Poterit enim quis ſaluis ami-
citiæ legibus, non donare aliquid amico: non
ei commodare de aliqua re; non alloqui eum
blandè, & alia id genus ſigna particularia ne-
gare. Verum tametſi hæc doctrina vera ſit: Admonitio
ita tamen redigenda eſt ad vſum, vt tunc ſine
periculo peccandi poſsim hæc ſigna negare
dilectionis, quando mihi omnino exploratū
eſt, animum nulla maleuolentia habere ſuffu-
ſum. Nam quando ira adhuc intus latet, res Admonitio
eſt valde periculoſa, ne quis in aliquas cogi-
tationes, & appetitiones à recta ratione aber-
rantes, labatur, ſi huius generis ſigna denegē-
tur. Tertia concluſio. Signa particularia Tertia cõc.
dilectionis oſtendere inimico, ex ſe, ad con-
ſilium, & perfectionem pertinet. Confirmat Ratio.
hanc concluſionem communis doctorum
opinio locis ſupra citatis, & eam ſibi homi-
nes haud difficile perſuadēt, & ideo nihil eſt,
quod eam probemus. Quamobrem ſi quis
eum, à quo læſus eſt, ſalutaret, ſi familiariter

eo vteretur, si ei auxilium extra necessitatem daret, viam perfectionis ingrederetur. Neque religiosi ad ista officia præstãda sunt sub peccato mortali obligati, vt male existima-

Discipuli error ser. 130. uit Discipulus; quia etiam respectu ipsorum hæc obligatio, quæ æque omnes respi-

Quarta cõc. cit, est sub consilio. Quarta conclusio. Hęc signa particularia interdum non liceret ostẽdere inimico. Hanc conclusionem præter

Paul. Palatius cæteros tradidit Paulus Palatius, & hanc for

Syluester. tasse affirmare voluit Syluester in ver. caritas §. 6. cum inquit, aliquando licere retinere iustum rancorem ad reprimendam temeritatẽ.

Quando nõ potest, quis signa particularia amoris ostendere inimico. Posset hoc contingere primo, cum hoc conduceret ad correctionem inimici. Secundo quando id opus esset ad retinendam auctoritatem, & grauitatem propriam, vt si superior nollet alloqui inferiorem, à quo esset iniuria affectus. Tertio ad maius malum euitandum, quod proficisci inde posset: vt si quis salutatus à suo inimico, non modo non resalutaret, sed etiam in conuicia prorumperet, & incen

Admonitio deretur ira, & furore. Verum in his casibus si forte fortuna scandalum oriretur ob negationem horum signorum, manifestanda esset causa ijs, qui scandalizarentur, cur id fieret, cũ de apostoli sententia, etiam speciem mali

Quĩnta cõc. fugere debeamus. Quinta conc. Non resalutare inimicum salutantem, eidemque viam petenti non ostendere, & alia huius generis signa negare, ex sua natura crederem esse pec

catum

catum capitale. In hac conclusione non conueniunt omnes doctores. Nam aliqui Thomistæ, vt Caiet. & Victoria, videntur sentire, non esse necessarium resalutare salutantem inimicum. Alij verò contra sentiunt, quorum sententiam veriorem esse arbitror, quã sic probo. Primo ex communiori sententia, in qua sunt hi doctores. Ioannes Nider, in suo pręceptorio in quintum pręceptum c.9. quo loco citat etiam Richardum, Albert. Mag. 3. sent. d. 30. aperte hoc docet. Et duo præceptores mei, viri summa doctrina, & pietate ornati, Franciscus Toledus, & Pater Parra eandem opinionem me docuerunt. Idem dicerent omnes illi, qui obligant offensum ad recipiendum inimicum, ad strictiorẽ amicitiam, vt D. Thomas, Rainer. Cardinalis Aræcœli, & aliqui alij. Secundo ex fundamento superius posito in capite 15. vbi demonstratum est reconciliationem pertinere ad signa vniuersalia, seu mixta. Est enim commune officium resalutatio. Communia autem officia ex communi sententia, nemini sine graui offensione negantur. Quare quiuis eorum aut amicus, aut inimicus salutet, resalutemus oportet, ni signum commune negare volumus, quod facere non licet. Adde tertio, quia videtur hoc nullo modo fieri posse sine odio, cũ nulla subest causa cur nõ debeat resalutari. Denique nõ resalutare inimicum salutãtem est causa satis sufficiens ad

Caiet. 2. 2. q. 25. art. 8.
Franciscus Victoria.
Prima ratio
Ioan. Nider.
Ricardus
Albert.
Franciscus Toledus.
Pater Parra.
Secunda rõ.
Tertia ratio
Quarta ratio

maleuolentiam, & ad perturbandum animũ proximi: quæ res graui culpa non vacat. Quando autem esset aliqua causa, cur non deberet resalutare, non peccaret, qui non resalutat. Et quãdo intercessisset leuis discordia, fortasse qui non resalutaret, nõ peccaret grauiter. Sed particulares casus reijciantur in prudentiam confessarij.

Sexta conc. Angelus.

Sexta conc. Si quis haberet animum nunquam salutandi, aut alloquendi inimicum, aut nunquam velle cum eo orare & re grauiter offenderet.

Ratio.

Et ratio est in promptu, cum ex hac animi affectione, haud obscure indicetur, non dum odium esse omni ex parte effusum. Ex his ergo, quæ hoc capite tradita sunt de signis vniuersalibus, & particularibus sit factũ satis priori parti disputationis de signis.

Quando offensus sit obligatus ostendere inimico particularia signa dilectionis. Cap. 25.

CVm nulla ferè sit moralis doctrina in vniuersum tradita, quæ suo complexu contineat omnia, & ad circunstantias comparata varias non admittat exceptiones, necesse est modo ad perfectionẽ doctrinam circa secundam conclusionem superiori capite positam, quosdam casus afferamus, qui vniuersam illam doctrinam ex accidenti restringũt, ac limitant.

Primus cas' in quo debet q̃s signa

Primo itaque necesse est, particulare signum amoris ostẽdere inimico existenti

ſtenti in aliqua neceſsitate corporis; puta, ſi fame, vel alio quouis modo periret, & ei pręſtò eſſe aduerſarius poſſet, ſi non faceret grauiter peccaret. In hanc ſententiam conueniunt ſcholaſtici omnes. 3. 5. d. 30. vt D. Thom. Ricar. & cæteri. Antonin. 4. p. tit. 6. cap. 4. Rainer. parte. 2. ver. dilectio c. 32. Huc pertinet auctoritas D. Ioannis ſic ſcribentis. Qui habuerit ſubſtantias, ideſt facultates huius mundi, & viderit fratrem ſuũ neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, hoc eſt erga eum, quomodo caritas Dei manet in eo? Quem locum explanans Gagneus, ait; non ſolum intelligendum eſſe de extrema neceſsitate, ſed etiam de indigentia cum verbum gręcum, χρεία, Chria non modo neceſsitatem, ſed etiam indigentiam ſignificet. Cadit etiam in hunc locum illud prouerb. c. 25. ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis in caput eius, & dominus reddet tibi. Secundus caſus eſt, in neceſſitate ſpirituali, quando inimicus egeret conſilio, & admonitione tua, ſine qua grauiter offenderet. Vt ecce, Si viderem meum inimicum laborare aliquo errore circa res noſtræ religionis, aut ex ignorantia velle committere aliquod crimen, debeo eum admonere, & vti correctione fraterna, ad quam ſub graui peccato ſumus obligati. Tertius caſus eſt, qui ex ſuperiori naſcitur; quando probabili

particularia amoris oſtẽdere inimico.

D. Thom. Ricar. Antonin. Rainer.

D. Ioannes ep. 1. cap. 3.

Io. Gagne⁹. Locus expoſitus.

Prou. 25.

Rom. 13.

Secundus caſus.

Terti⁹ caſus

coniectura crederem, meum inimicum, qui adhuc in vitio laborat, rediturum ad bonam frugem, & vitam suam emendaturum, si eum alloquerer, si monerem, si signa amoris singularia ei ostenderem, quod frequenter accidere posse existimo. Hic casus esset omnino aperiendus ijs qui inimicitias exercent, & ab inimico habent animum omnino auersum.

Quart' casus. Quartus casus, ratione scandali cũ scilicet ex eo quòd hęc signa nego, occasionem scandali præbeo. Vt ecce si Episcopus, & prætor vrbis ob aliquã dissensionẽ non exhiberent sibi mutuò signa quędam particularia amoris: puta, si se non salutarent, & resalutarẽt, ac solita obseruantia nõ colerent. Hinc enim sumerẽt exemplũ male agendi, & fouendi inimicitias inferiores, sicuti ad bene, honesteq; agendũ, eorũ exẽplo concitantur. Vt de Constantino ad religionẽ conuerso scripsit Claudiamus.

Claudianus. Niceph. l. 8.

Regis ad exemplum totus conuertitur orbis.

Hic casus traditur à multis, & nominatim à D. Thom. Rainer. Paulo Palatio in annotationibus. Quibus in Caiet. ex hac veritate, deducitur quędam doctrina omnino animaduertenda, quæ talis est. Signa, quæ aliàs essent particularia, non esse neganda inter eos, qui sunt in aliquo collegio, monasterio, vel familia, & congregatione aliqua: vt est, loqui cum omnibus, salutare &c. Tum quia in his locis non adhiberę ista signa, est manifesta occasio scandali: tum quia sunt signa veluti

D. Thom. Rainer, Palatius. Admonitio. Ratio.

com-

communia, & debita in his locis. Inferunt præterea aliqui, idem dicendum esse de seruis erga dominos, de filijs erga parentes, de subditis erga prælatum; de fratre erga fratrem, & de alijs similibus, qui essent frequentes se salutare ex consuetudine, vel constitutione aliqua, vel ex debito officio. Item de eo, qui salutato altero, alterum qui est inimicus non salutat, de eo, qui toruo vultu inimicum intueretur, vt voluerunt Angelus v. dilectio. Panor. cap. repellitur de accusationibus & Palatius. Semper tamen in his, & similibus casibus cum peccatum cõsurgat per accidens ratione scandali, debet prudens confessarius, cum pœnitentes audit, diligenter considerare circunstantias, antequam quempiam grauioris offensæ condemnet. Accedit quintus casus, quando immineret periculum peccandi mortaliter, si quis ab his signis abstineret: puta, si esset periculum, ne aliquis odij, aut iræ flammis incenderetur, aut in conuicia prorumperet. Tunc enim sub grauis offensionis pœna non potest quis negare talia signa. Nam (vt ait Ecclesiasticus,) Qui amat periculum, peribit in illo: ex quo loco colligunt doctores omnes, eum qui se exponit periculo peccandi mortaliter, peccare mortaliter. Addunt postremò alij Sextum casum, vt D. Tho. d. 30. & qui ab ipso accepit Rainer. quando inimicus vellet vti familiariter eo, quem læsit, si id videatur candida

Admonitio

Angelus. Panor.

Palatius.

Admonitio

Quint' casu

Qui exponit se periculo peccãdi pec cat.

Sextus casus

ac pura voluntate fieri, non autem ficto ac fucato animo ad facilius inferendum detrimentum; non potest offensus, de istorum doctorum sententia, eum à tali consuetudine arcere. Sed vt res intelligatur planius, fingamus facti speciem. Petrus iniuriosus fuit in Franciscum, à quo postea non modo petit signa reconciliationis, & depositi odij, sed etiam contendit, ad strictiorem, seu maiorem quãdam familiaritatem se admitti. Hic, si Franciscus existimet, id Petrum bona fide, non fraudoloso animo requirere, obligatus est Franciscus non denegare ei hoc particulare dilectionis signum. Verum licèt hoc ad perfectionem maiorem pertineat: nunquam tamen ad id faciendum, citra scandalum, quempiam obligarem. Quare ista doctrina semper mihi subdurior visa est. Hic aperiant oculi, qui volunt de sententia D. Thom. neminem esse obligatum, ad danda signa dimissi odij. Nostram sententiam communior scribentium approbat opinio. Ita docet Syl. ver. car. §. 6. Gerson in regul. mor. p. 2. vbi de praeceptis decalogi agit. Caiet. ver. odium. Nauar. cap. 14. nu. 25. & plerique alij. Patet igitur ex dictis nos obligatos esse ad diligendos inimicos particulari dilectione, & signo, cum graui necessitate corporis, vel animae laborant, quando ad meliorem frugem reuersuros esse putamus; aut scandalum, aut periculum grauiter peccandi nos monent.

Refellitur casus. Sextus. Admonitio Syl. Gerson Caiet. Nauar.

Quando

Quando fieri debeat, aut non debeat reconciliatio per signa exteriora. Cap. 26.

IAM eam partem huius nostræ tractationis, cuius præcipuè causa hic labor susceptus est, in qua de pace facienda disputaturi sumus, ingrediamur. Faxit Deus opt. max. in cuius gloriam, & honorem hos labores susceptos esse volo, vt quod legi suæ rationiq; consentaneum est dicamus. Scribemus autem de hac re in hunc modum. Primo afferam distinctiones quasdam ad hunc locum proximè facientes, ac etiam conclusiones de quibus minor est dubitatio; deinde conclusionem illam de qua præcipua est controuersia, per varia rationum capita confirmabo. Prima distinctio; duobus modis potest quis ad reconciliationem obligari exteriorem: primo antequam reconciliatio ab offendente petatur: secundo post petitionem. Potest autē duplici ratione postulari, vel cum promissione satisfactionis pro honore læso, & damno illato; vel simpliciter sine vlla promissione satisfactionis. Item potest reconciliatio postulari conuenienti ac debito modo; aut certe indecenter, & arroganter, vt interdum vsu venire solet. Pręterea duobus modis fieri potest reconciliatio: altero quidem secundum legem euangelicam, quæ habet, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum: hoc est iuxta phrasim hebraicam; omnis hu-

Distributio dicendarum

Duobus modis quis potest obligari ad reconciliationem.

Duobus modis pax peti potest.

Duobus modis potest fieri reconciliatio.

Locus explicatus.

mana actio, quæ testimonio indiget, coram duobus vel tribus fiat, per quos facti veritas posſit Ecclesię constare: ſecundo modo quibuſdam alijs legibus, vel humana consuetudine inductis, aut statuto alicuius loci decretis. Ad hæc bifariam quis potest obligari ad aliquid faciendum; primo ex natura rei, quæ facienda eſt, puta ad amandum parẽtes, ad diligendum Deum, ad restituendam rem furto ablatam. Secundo ex accidenti, & indirecte, vt gratia exempli, ad dandam eleemoſynam eo tempore, quo quis ex præcepto non eſt obligatus; ne quis ſcandalizetur. Eſt etiam & hæc diſtinctio animaduertenda.

Dupliciter poteſt quis obligari ad aliquid.

Tribus modis contingit fratrem habere aliquid contra fratrem. Primo quando nulla ſubeſt vera cauſa, ſed te odio proſequitur, vel quia ſuſurrones, & ſeditioſi homines aliquid falſi de te, fratri odio contra te flagranti, retulerunt: aut certè ipſe falſa exiſtimatione iniuriæ inuidiam ex ſe concepit. Secundo quando verè contra æquitatem iniuriam intuliſti, & efficacẽ concipiendi odij cauſam dediſti. Tertio quando re ipſa data eſt occaſio excitandæ iræ, ſed frater id non nouit, aut ſi nouit, nihil curauit, & nulla laborat inuidia. Poſtremo iniuria, vt ſuperius diximus, licèt multis modis fiat, tamen omnes ad tres fontes reuocare licet; quod alia fiat animo; alia verbis; alia factis. Suppono autem hoc loco vnum, antequam concluſiones afferam;

Tribus modis habet aliquis aliquid contra fratrem.

Tribus modis poteſt iniuria fieri. Cap. 5.

non

non esse omnino certum, ac indubitatum, nō modo apud indoctos, verum etiam apud eruditos homines, an sufficiat ad salutem consequendam ex se suaque natura, solum deponere odium, & necessarium non esse id declarare signis externis. Nam reuera sunt qui contrarium sentiant, & publicè doceant, & aliqui confessarij ad vsum traducunt opinionē eorū, qui dicunt sat esse deponere odiū; nec desunt rationes ad id confirmandū, quas in fine operis diluemus, & ego sæpe de hac re cū aduersarijs acriter depugnaui, & de viris aliàs doctis audiui hanc esse grauissimam, & valde dubiā quæstionē. Est igitur pro certo habendū, rem dignā esse diligenti, & accurata tractatione. Prima conc. Qui aliquem iniustè offendit, & re ipsa cōcitauit contra se fratrē, qui ob eā rem habet aliquid contra ipsū, debet petere veniā, & reconciliationē ab eo, quem læsit, quod vel per se, vel per alium facere poterit. Intelligenda est conclusio, quando iniustitiam inferenti non constaret, offensum omnem cōdonasse iniuriam, & à se nihil requirere, & denique omni sublato scādalo. Hæc conclusio, quæ satis clara est, probatur apertè ex illo Matth. 5. Vade prius, reconciliare fratri tuo; quem locū sequenti capite explanabimus, accedente explicatione communi omnium doctorum, quæ huic conclusioni fauet. Arguitur etiam efficaciter à simili de eo, qui pecuniam sustulisset, quam resti-

Dubitatio grauissima.

Prima conc.

Prima ratio.

Matth. 5.

Secunda ra.

restituere deberet. Cur ergo non debebit iniuriosus instaurare amicitiam, & amorem quem per iniuriam labefactauit? Quare offendens debet præuenire iniuste offensum, petendo veniam. Secunda conclusio. Quando odium ortum est ex falsa calumnia, vel ex falsa præsumptione; is qui censetur offendisse, non est obligatus nisi de consilio adire fratrem, & illi se reconciliare: deberet tamen admonere fratrem erroris, & patefacere ei, se innocentem esse; & propterea ad eum pertinere, deponere contractum odium. Est doctrina aperta, & tradit eam Ioannes Nider in explicatione quinti præcepti capite octauo. Tertia conclusio. Quando non est contractum odium, licèt data sit occasio sufficiens odij contrahendi, non est opus adire fratrem reconciliationis causa: idque multo minus, quando non fuit contractum, quod ignota sit illata iniuria: quia in his casibus nulla ratione expediret de reconciliatione verba facere. Quarta conclusio. Si quis solo animo fratrem tacito conuicio affecisset, sat erit si solo animo fiat reconciliatio: hoc est, si deponat odium, & peruersam sententiam, & eũ pœniteat peccasse male de fratre sentiendo. Si autem facto, vel dicto contumeliosus fuit, reconciliatio interior non sufficit. Prima pars huius conclusionis perspicua est: altera probabitur paulo post. Quinta conclusio. Offensus non est obligatus, nisi ex consilio præ-

Secũda cõc.

Ioan. Nider.

Tertia cõc.

Ratio.

Quarta cõc.

Quinta cõc.

præuenire offendentem in reconciliatione, hoc eſt niſi petatur ab eo reconciliatio, non eſt obligatus ex præcepto conuenire inimicum, vt cum eo reconcilietur. Eſt communis doctrina, & ſpeciatim ponitur à Gerſone in compendio Theologiæ. Sexta concluſio. Si gratiæ reconciliatio non petatur debito modo, offenſus non eſt obligatus venire ad pacem exteriorem. Patet in primis hæc veritas ex auctoritate Saluatoris Lucæ 17. Si pœnitentiam egerit. Quem locum exponens venerabilis Beda, ait: non paſsim peccanti, ſed pœnitentiam agenti dimittere iubemur. Tunc autem indebito modo peteret, quando ſuperbe, quando ficte poſtularet: quando ſine conuenienti ſatisfactione: quando inde maiora orirētur mala, ſi pax exterior fieret. Huic concluſioni ſuffragatur communis doctrina doctorum, quos infra citabo; qui dum de hac dubitatione diſputant, & rem concludunt; addunt: ſi debito modo petat. Adde etiam, quia aliàs faueremus iniquitati, & malitiæ; ſi ei quem non pœnitet verè, reconciliationis beneficium præberemus. Septima concluſio. Inimico debito modo pacem, & dimiſsi odij ſigna petēti, ex ſe ſuaq; natura ſalua caritate negari ſufficientia ſigna non poſſunt. Quæ doctrina eſt intelligenda ſuo modo de omnibus ijs ad quos promanauit iniuria. Diximus, ſua natura, quia non ſolum ex accidenti & propter ſcandalum; vt

Gerſon. Sexta conc. Prima ratio Beda Alia ratio. Cap. 29. Tertia ratio Septima conclusio. Declaratur concluſio.

aliqui arbitrantur. Dicimus etiam debere esse signa sufficientia, hoc est, quæ plane demonstrent odium esse depositum, iuxta ea quæ de signis diximus; vt certus sit qui læsit de animo offensi, ne quid nocumenti contra iustitiam ab eo timeat. Cuiusmodi autem debeant esse signa, inferius explanabitur. Hanc conclusionem adeo veram esse arbitror, vt existimem contrariam sententiam cō tinere errorem intollerabilem, & offendere pias aures, quod verum esse sequentibus capitibus varijs rationibus demonstrare conabor.

Cap. 15.

Pacem externis signis esse faciendam probatur scriptura. Cap. 27.

EA priore loco sacræ scripturæ auctoritas, ad hanc veritatem confirmandam plurimū momenti habet, quæ apud Diuum Lucam est, qua omnes doctores ad hoc probandum vtuntur. Attendite vobis, si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi, & si septies, dimitte illi. Vt planius ratio, quæ ex hoc loco conficitur percipiatur, aliqua circa hæc verba animaduertenda sunt. Primo aduertendū est in illis verbis: Attendite vobis: esse vim quandā ad excitandū animos ad eam doctrinā, quam ibi saluator traditurus erat. Secūdo, verba illa; in te, i. contra te: vel personam

Luc. 17.

Locus explicatur.

Caiet.

nam tibi coniunctam, vel in famam, & res. Tertio; frater tuus. ecce, quomodo dominus appellat proximum fratrem, etiam post factam iniuriam; non hostem. Quarto. In crepa. Dat præceptum de correctione faciẽda, quod, cum sit præceptum affirmatiuum debet intelligi suo tempore, & loco, & cum alijs circunstantijs. Quinto. Pœnitentiam egerit. Caietanus in hunc locum ait, pœnitentiam non significare satisfactionem, sed resipiscentiam. Verum præstat, per pœnitentiam intelligere absolutam pœnitentiam, quæ non modo spectat futurum, sed etiam præteritum detestatur peccatum, ac satisfactionem pollicetur. Nam falsa prorsus est Lutheri, & sectatorum opinio, qui pœnitentiam, solam vitam nouam esse arbitrantur. Nec est, cur obijciant nobis vocabulum græcum μετάνοιαν, quod solam resipiscentiam, & vt ita dixerim, transmentationem, & quasi mentis transitum, significare putant: quia ista est altera pars significationis integræ huius vocis; cum etiam includat præteriti peccati detestationem, quod pulcherrime demõstrauit Ausonius in epigramate de occasione, vbi describens pœnitentiam, sic ait.

Hugo Card. Caiet. Censura in Caiet. Lutherus reprehenditur Eras. Pœnitentiæ natura. Auson.

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas
Nempe vt pœniteat, sic metanæa vocor.

Et certe pœnitentia apud latinos, Ciceronẽ, Terentium, Plinium, Lactantium, Tertulianum in libro de pœnitentia, non solam significat

Cicero. Terent. Plin. Lact. l. 6. c. 4.

ficat resipiscentium, sed etiam errati præteriti detestationem. Extat auctoritas illustris Demostenis apud Gellium libro primo capite octauo. Et Lucianus refert Apellem dexisse Calumniam, quam à tergo sequebatur Pœnitentia, pullis, lacerisque vestibus induta, retrò caput flectens; Sed latius de hac re disserendi non est hic locus. Egerit: hoc est, secundum Cartus. si dolere, & emendare se dicat, seu facto ostendat. Et si septies, damnat eorum sententiam, qui semel tantum dimittendam esse putant illatam iniustitiam. Dimitte illi, idest fac vt ei cõstet te dimisisse. Tunc inquit Theophilactus, deponitur odiũ de corde, quando fratri ostenditur odium esse depositum. Ex his conflatur euidens ratio ex doctrina Christi non sufficere solam remisionem interiorem, sed opus esse reconciliatione, & remisione exteriori; vt sicuti ille exteriori signo demonstrat se dolere erroris perpetrati, pari ratione tu debes aperte indicare te odio non laborare: ita tamen debes indicare, vt ille intelligat apertè te deposuisse odium, & non oportere vt sibi caueat, ne quid detrimenti contra eum moliaris. Neque hic locus de sola remisione interiori intelligi potest, cum illa facienda sit statim, etiam si errantem non pœniteat, & ad te non accedat. Hinc patet quomodo sit intelligẽdum illud Matth. 18. si nõ dimiseritis de cordibus vestris eo scilicet modo, quem explicuit

Demost. Gellius Lucianus Lili⁹ Gyral. sint 1. Rosen. contra Luth.

Diun. Carthusianus.

Theophila. Matth. 18.

Ratio ex loco cit.

Remouetur cauillus.

cuit Theophilactus; quia licèt solum videatur mentionem facere de interiori remissione; tamen non negat exteriorem, quam faciendam esse aperte alibi docet: sed requirit interiorem, tanquam primo necessariam, & quam sæpe homines exterius se habere fingunt, cum vere non habeant. Quare vt perfecta sit Christiana iustitia, vtranque copulare reconciliationem oportet. Est locus alius quo hæc veritas probatur; Matth. 5. vbi cum dominus declarasset præceptum, de non occidendo, & iniuria facienda, adiecit hæc verba. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum. Et subijcit pœnã. Ne forte tradat te. Ad maiorem huius loci declarationẽ, sunt q̃dam consideranda. Primo, luce meridiana clarius est, hic mentionem fieri de reconciliatione exteriori post illatam, & acceptam iniuriã. Secundo habere aliquid aduersus aliquẽ, secundum phrasim hebręorum; est habere aliqua, quæ cum aliquo expostules, ob quæ de eo conqueri possis. Dat præterea hoc loco Dñs salutare præceptum ei, qui in aliquẽ contumeliosus fuit, vt posito munere, quod Deo offerre volebat, accedat prius ad reconciliationem faciendam. Infallibilem quandã, inquit Chrysostomus reconciliationis necessi-

Theophil. | Matth. 5. | Locus expositus. | Phrasis hebraica. | Chrys.

cesſitatem imponit, dum pluris reconciliationem alienam, quàm ſuum ſacrificium facere videtur. O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga hominem amorẽ Dei. Honorem ſuum deſpicit, dum in proximo caritatem requirit. Et Gillebertus Abbas in cantica, Aduertis ſatis, quomodo vnguentum reconciliationis, aromati præfert orationis. Vade, reconciliare: Dilectio enim maior eſt omnibus ſacrificijs, & holocauſtomatibus. Neceſsitatem ergo imponit, dum demonſtrat ſe nolle aceptare ſacrificium offerentis, quia ipſe quoque Deus fuit offenſus in offenſione fratris. Addit Cornelius Ianſenius, miram Dei benignitatem in hoc demonſtrari, dum vult promouere ad mutuam caritatem: quod licèt ſit ſui iuris, ac nulli adſtrictus ſuam gratiam vult pendere à fratris gratia, vt ſuam nolit impertiri, niſi prius fratris gratia impetrata. Huc pertinet, quod aliàs dominus dixit. Miſericordiam magis volo quàm ſacrificium. Solet autem hic locus duobus modis exponi. D. Auguſtinus cenſet, hanc domini ſententiam obligare ſolum offendentem, vt ad eum quem læſit veniam oratum eat. Cum dominus dicat: ſi habet aliquid aduerſus te: hoc eſt, ſi poteſt frater aliqua de cauſa tecum expoſtulare; accede ad illum reconciliationis gratia: vt non ſit neceſſe, læſum lædentem quærere: licèt ipſe quoque debeat, antequam munus offerat, dimit-

Gillebertus Abbas ſer. 82.

Matth. 5.

Cornelius Ianſen.

D. Auguſt.

d'mittere conflatum odium. At verò Chry sostomus & Theophilactus volunt, hoc domini iussum intelligendum esse de vtroque, ita vt habere aliquid aduersus aliquem, sit cum eo non conuenire. Hanc eandem expositioné amplectitur Euthimius Zigabonus, qui in hunc locum sic scribit. Fertur autem indifferenter sermo ad eum, qui affectus est iniuria, & ad eum qui iniuriam irrogauit. Confirmatur expositio ista ex eo, quod absolute dominus ait. Si frater tuus habet aliquid aduersum te: nec addit iuste, vel iniuste. Quasi diceret. Si putas aliquem offendisse te: vel te ab aliquo offensum esse; accede ad reconciliationem petendam. Adde etiam, quod non dicitur: reconcilia tibi fratrem tuum; sed, vade reconciliare pasiue. Est enim in codice græco διαλλάγηθι. imperatiuum pasiuū à verbo διαλλάττω idest concilio; lites inter amicos dirimo, ex compromisso dirimo. Verùm siue vno, siue altero accipias modo, parui ad rem nostram refert. Nam si quis læsit ex præcepto saluatoris obligatur accedere ad offensum causa reconciliationis, obligetur offensus ad reconciliationem necesse est. Secunda tamen expositio perfectioni euangelicæ, quam ibi dominus docebat, magis fauet: & tunc hic locus quantum ad læsum, erit intelligendus de consilio: quantum ad offendentem vtrouis modo exponas, de prçcepto. Aduertendum est

Chrysost. Theophil.

Euthim.

Budeus in com. li. grç.

Corn. Ians. cap. 40. praeterea cum Iansenio, hoc domini mandatum sane accipiendum esse, pro vt recta demonstrabit ratio. Nam aliquando non expediet accedere, veluti cum offensio altè in animo resideret, & aduenas permeasset; & pari ratione, quando per tempus, aut loci interuallum non licet. Quam ob rem hunc locum

D. August. mystice D. Augustinus accepit: vt qui lęsit, non pedibus corporis, sed animi motibus, ad offensum pergere debeat, dum coram Deo eum pœnitet offendisse fratrem. Sed praestat, vt simpliciter accipiamus, vt verba sequentia admonent. Caeterum cum hoc praeceptum sit affirmatiuum, obligabit pro tempore, & occasione, & facultate. Quapropter si statim fieri posset mutua conciliatio per externos actus, ante muneris oblationem fieri deberet: sin minus, satis erit reconciliatio interior, sine qua exterior apud Deum nihil prodest. Non modo pedibus, sed animo,

Nicol. Lyr. ait Lyramus. His ita expositis, ratio sic ex hoc loco conficitur. Ille, qui iniuriam irrogauit,

Ratio ex loco cit. ex dominico pręcepto tenetur adire fratrē ad petendam recōciliationem externam, quia de interna nulla est dubitatio. Ergo frater qui fuit iniuriosè tractatus, debet dare signa conciliati animi. Quod si quis peruicaciter con-

Refellitur responsio quaedam. secutionē neget, dicendo Christū non obligare offensum, sed offendentem; ridicula sanè est Euasio. Nam frustra dominus praeciperet alteri vt fratrem adiret, nisi frater laesus

ad reconciliationem faciendam esset obligatus. Posset enim se excusare, si diuino non pareret præcepto, dicendo: cur vis domine vt illum conueniam, si reconciliationem potest respuere? Quare sicuti sacri Theologi, & Conc. Tridentinū, ex illo Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis: concludunt; non modo hoc loco dari præceptum apostolis, vt peccata remittant; sed etiam peccatoribus, vt illa confiteantur; ne frustra data esse videatur remittendi peccati facultas: simili ratione, ne frustra dicatur lędenti, vt fratrem conueniat, offensum quoq; ad reconciliationem faciendam, cum fuerit requisitus, obligat. Neque recurrent, qui contrarium sentiunt hic ad reconciliationem interiorem, cum ista fieri debeat etiam sine accessu officientis. Adde, quod verbum græcum exteriorem significat reconciliationem; & reconciliatio, vt ex eius patet definitione, debet esse per actus externos, & manifesta, ac subiecta sensibus. Sunt & alia loca, quæ ne longum faciam, relinquens eorum explicationem breuiter indicabo. Matth. 18. Dominus Petro interroganti, quoties debeamus dimittere fratri in nos peccanti; respondit; non solum septies, sed septuagies septies. Ad Ephes. 4. Estote inuicem benigni, & misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Colos. 3. Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti

Trid. Conc. Ioan. 20.

Matth. 18.

Ephes. 4.

Colos. 3.

viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicu
Matth. 18. ti & cadit etiam in hunc locum parabola de Rege, qui voluit rationem ponere cum seruis suis; quæ omnino animaduertenda est. Sunt aliæ auctoritates, quæ afferri possent; sed cum istæ satis euidenter veritatem demõstrent, ab illis breuitatis gratia abstinentes ad secundum rationum caput, ex auctoritate conciliorum desumptarum transitum faciamus.

Idem Pontificum, conciliorum, & patrum auctoritate docetur. *Cap.* 28.

Damas. 2. 5. q. 1. Violatores.

CVM Damasi Papæ verissima sit sententia: violatores canonum voluntariè, grauiter à sanctis patribus iudicari, & à sancto spiritu, à cuius dono dictati sunt, damnari; vt demonstremus aduersarios grauiter errare, & sacrorum canonum & pontificum, nec non sanctorum patrum auctoritate, propositam conclusionem confirmemus. Et in
Cart. 4. tit. 1. Conc. d. 90. oblationes. primis concilium Carthag. 4. can. 93. ita de hac re statuit. Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophilacio recipiantur. Hic canon in primis conso
Matth. 5. nat cum doctrina Christi Matth. 5. & cum hæc sit grauis quædam pœna, non potest

esse

esse lata nisi ob graue crimen. Dissidentes autem sunt qui non reconciliantur in foro exteriori,& in facie Ecclesiæ. Inter dissidentes, quis non enumerabit eos, quorum alter nolit veniam petere sui criminis à fratre, quẽ læsit,& eum qui de pacificatione externa conuenienter requisitus sine ratione negare audet? Agathense concilium can. 31. Placuit etiam,vt sicut plerunq; fit, quicunque odio, aut longinqua inter se lite dissenserint, & ad pacem reuocari diutina intentione, aut (vt alij legunt) obseruatione nequiuerint, à sacerdotibus ciuitatis primitus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint,de Ecclesiæ cœtu, iustissima excommunicatione pellantur. Canon iste ita aperte expugnat contrariam sententiam,vt nulla expositione egeat. Turonense secundum Can. secundo. Hoc Canone præcipitur,vt si qui clerici inter se se dissentiant, per aliquem reconcilientur; quòd si facere noluerint,pœnis subijci debent. Et licèt canon de solis clericis loquatur: tamen eadem est ratio omnium, & omnes ad idem faciendum obligantur. Toletanum 11.can.4.Cum demonstrasset hoc cõcilium quàm turpe sit, & à christiana caritate alienum,odisse fratrẽ; in fine canonis ita scribit. Horum ergo, & similium discordantium fratrum oblationes, iuxta antiqui canonis definitionem,nullo modo recipiendas esse censuimus. De personis

Concilium. Agathense. tit. 1. d. 90. Placuit.

Concil. Turonens. 2. to. 2.

Tolet. 11. to. 2.

tamen diſcordantium, id ſpeciali definitione præcipimus; vt antequam eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad altare domini audeat, vel gratiam communionis ſanctæ percipiat: ſed geminato tempore per pęnitentiam compenſabunt, quod diſcordiæ ſeruierunt. Quòd ſi vnus eorum, alio contemnente ad ſantificationem caritatis concurrerit, ex eo tempore, vt pacificus intra Eccleſiam reputetur, ex quo ad concordiam feſtinaſſe conuincitur, ſententia tamen ſuperiori ſeruata, vt tēpus, quod in ira expendit, geminatum in pœnitentiæ ſatisfactione perſoluat. Non eſt hic locus confugiendi ad interiorem reconciliationem quàm Eccleſia non agnoſcit. Eſt enim Eccleſia ſenſibilis, & reconciliationem petit ſenſibilem. Et hæc ſunt illuſtriora loca, quæ ex ſacris concilijs colligere potui. Modo quaſdam pontificum & patrum auctoritates ad idem confirmādum adducam. Victor decimus tertius à Petro ep. 2. ad Epiſcopos Afros ſub principio; cum dixiſſet, inter eos contentiones, & æmulationes ortas eſſe, præcipit, vt concordare velint: & poſtea ſubdit. Nam ſi hoc agere citò neglexeritis, & viciſsim reconciliari non ſtudueritis ab apoſtolicæ ſedis, & totius Eccleſiæ communione vos pelli non dubitetis.

Victor Pont. d. 90. Perlatum.

Fabianus, vt refert Gratianus d. 90. Si quis. Si quis contriſtatus noluerit reconciliari fratri ſuo ſatisfaciente eo, qui contriſtauit, acer-

Fabianus.

rimus maceretur inedijs, vſque dum gratanti animo ſatisfactionem recipiat. D. Cyprianus cuius ſententia refertur d. 90. Neque ad Cain: aſſerit non poſſe habere placatũ Deũ, qui cum fratre non habet pacem: quam certe habere non videtur, qui pacem debito modo poſtulatam negat. Dicerem enim ei, oſtende mihi pacem tuam ex operibus tuis. Neque enim ſufficit animus, vbi opus eſt facto, & vt ſcripſit Theophilus Alexandrinus Epiſcopus ſi verbum nomini in grammatica coniungamus, perfectus ſenſus efficitur; & ſi verbum ſolum fuerit; aut nomen ſine verbo nihil eſt omnino, quod dicitur. D. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 73. quem locum tractat Magiſter ſententiarum d. 30. tertij, & ibi ſcholaſtici; aſſerit aperte nobis non dimitti peccata, niſi petenti dimiſerimus. Venerabilis Beda Luc. 17. Pœnitentiam agenti, & veniam flagitanti, neceſſarium eſſe ait dimittere. Theophilatus loco ſupra citato. Legendus eſt Maximus homelia de ſancto Stephano. Sed quoniam ſunt aliqui, qui non admodum ſanctorum patrũ doctrina permouentur, quos meritò apatores nominares, & magis ſcholaſticorum dictis afficiuntur; his etiam vt ſatis faciamus, idem rurſus ſcholaſticorum, & ſummiſtrarum auctoritate vrgeamus.

Cyprian.

Theophilus Eps Alexan.

D. Auguſt.

Magiſter. S.

Beda.

Theophil.

Maxim. epi.

Idem probatur communi sententia doctorum Cap. 29.

Qvamvis auctoritates hactenus ex sacris concilijs & sanctis patribus allatę sententiam nostram verissimam esse demonstrent: tñ vt veritas ꝓposita magis ac magis confirmetur, eam sententia communi doctorũ, qui ex professo hanc dubitationem agitarũt, corroboremus. Et vt à principibus scholasticis incipiamus. Alexander Alensis parte tertia quæstione 59. in responsione ad secundum argumentum, vbi pulcherrime declarat locum Augustini, petenti ait, remittendum esse rancorem qui sequitur appetitum vindictæ, non autem punitionem ex zelo iustitiæ. Albertus Magnus 3. sent. respondens ad hãc dubitationem de signis externis sic habet. Sed tamen mihi videtur, si postulat veniam non irridens, quod tunc non est negandum signum dilectionis: & quod debet resalutare. D. Tho. ibidem quęstione prima non modo ad danda signa dilectionis obligat, cum inimicus petit, sed etiam ad familiarem consuetudinem: quod tamen vt supra diximus, non placet. In lectione 3. ad Rom. loquens de eo, quem pœnitet, & petit veniam. Absq; omni difficultate caritatis signa sunt ostendenda. Idem docet in 2. 2. q. 83. ar. 8. D. Bonauentura d. 3. super littera Magistri, cũ dixisset necessarium esse dimittere rãcorem,

Alex. Alens. mem. 5. ar. 3

Albertus d. 30. art. 2.

Resalutatio

D. Thom. art. 2. ad 2.

Rom. c. 12.

D. Bonau.

non autem ſigna rancoris, ſubiecit hæc verba. Niſi deuote, & humiliter venia poſtuletur: & de hac dimiſsione ait intelligendam eſſe D. Auguſtini ſententiam, quæ ibi refertur. Richardus de Mediauilla, diſtinctione eadem. Homo, inquit, petenti veniam tenetur remittere ſignum rancoris: & rancorem etiam non petenti. Gabriel Biel ibidem repetit doctrinam D. Bonauenturę & eam ſequitur, & dubio 2. in fine & lectione 71. in canonem miſſæ vbi fuſius de hac re diſputat. Eandem doctrinam Diui Bonauenturæ repetit, & ſequitur Nicolaus Orbelis. Ioannes Viguerius in commentarijs ad Romanos cap. 12. cum repetiſſet doctrinam D. Thomę de ſignis vniuerſalibus, veniens ad caſum noſtrum, ait; abſque difficultate eſſe danda indicia caritatis. Petrus de Tarantaſia, quē Syl-ueſter citat ex loco D. Lucæ hanc concluſionem probat. Rainerius in ſua panteologia parte 2. ver. dilectio cap. 32. repetit doctrinam D. Thomæ ex tertio ſententiarum. Tenetur, ait, homo indulgere, & remittere offenſam (quod eſt intelligendum quantum ad ſigna) quando peteret veniam. Albericus, quem Syluester & alij citant, plus dicit, quā nos velimus, quod etiam non petenti ſunt remittenda ſigna rancoris; ſed fortaſſe loquebatur de communibus ſignis. Auctor ſummæ confeſſorum libro tertio. Veniam petenti tenemur remittere, ex illo D. Lucę. 17.

Ricardus

Gabriel

Nicol. Orb.

Ioan. Vigu.

Petrus de Tara.

D. Luc 17.

Rainerius.

Albericus.

Sūma conf. tit. 34. q. 215

Pisanella. Supplementum siue Pisanella, siue Magistru tia ver. caritas §, 5. facta distinctione communi de rancore, signis, & satisfactione, loquens de signis, ait. Veraciter petenti, idest
Tabiena parato, se emendare tenetur. Tabiena ver. car. §. 14. sequitur doctrinam D. Thomæ ex
Rosella. tertio senten. Rosella, auctore Baptista Trouamala ver. car. §. 7. Tenetur remittere iniu-
Angelus riam, veraciter petenti. Angelus verb. dili-
Syluester gere §. 2. Syluester in aurea rosa, cum de hac re disputat cōclusione 7. Qui non vult loqui satisfacere volenti, si communicat, iudicium
Anton. sibi manducat, & citat Antoninum 2. p. tit.
Duran. min. 8. cap. 3. §. 6. & Durandum ordinis minoris.
Clemens Car. Aracœl. Clemens Cardinalis Aracœli de concilijs Euangelicis cap. 16. Sane negare homini signa familiaritatis quando veniā petit, aut necessitas poscit, vindicta est. Non placet tamen, quod addit, debere etiam ad familiaritatem admittere, nisi intelligat de consilio. Sum
Astensis ma Astensis prima parte tit. 42. art. 3. q. 2. repetit doctrinam D. Bonauenturæ & Richardi, & tandem concludit his verbis. Non tenetur dimittere per signa nisi deuote, & hu
Dominicus a Soto. militer petat. Dominicus à Soto in suis commentarijs in ep. ad Rom. cap. 12. Cornelius
Corn. Ians. Iansenius in sua concordia Euangelica c. 98. Quod prius in corde remisimus, etiam ore
Ambrosius remittendum est. Ambrosius seruita, quem plurimi faciunt pleriq; concionatores in sermone quodam in quadragesima inquit, si

parcis, & non loqueris, ſignum eſt odij. Franciſcus Canophylus in ſer. de iniurijs feria ſexta poſt diem cinerum, vbi de remiſsione iniuriarum ſatis bene diſputat. Sed ne videar nimis longus in hac re, hos enumeraſſe ſcriptores ſufficiat, quorum auctoritatem nemo ſine temeritate paruipendere poterit. Et cum nonnulli potius rationibus quàm auctoritatibus concedant, vt his fiat quoque ſatis, eandem iterum veritatem rationibus confirmemus. Franciſcus Canophyl.

Idem confirmatur rationibus. *Cap. 30.*

AIEBAT Plato, cuius ſententiam Clemens Alexandrinus iure optimo laudabat, ſe eiuſmodi eſſe, vt nulli magis crederet quàm rationi, & quæ ei conſideranti optima viſa eſſet. Eſt enim ratio veritatis regula. Quare licèt tam multis, ijſque grauiſsimis auctoritatibus propoſita veritas confirmata ſit, vt nullis rationibus indigere videatur, cũ præſertim in Theologia magis auctoritas, quàm ratio vrgere debeat: tamen, vt rem magni momenti, quam multæ aduerſariorum argumentiones impugnare nituntur, non carere ratione oſtendamus, argumentorum momentis munire non grauabor, idq; etiam libenter facio, quod quæ afferentur rationes etiam ad diſponendos animos iratorum, ad reconciliationem faciendam non nihil valebunt.

Plato. Clem. Alex.

D. Thom. p. p. q. P.

bunt. Adde etiam, quod cum cognouerint apertissime homines iniquum omnino esse; non dare signa amoris; ab ipsa veritate coacti, ne videantur palam malitiam sequi, minus grauatè gratiam reconciliabunt. Nam, vt scripsit Philo, nullus ita insanus est, licèt sit insipiens, vt palam profiteatur malitiam.

Philo lib. de mundo.

D. Thom.
D. August.

Prima igitur ratio est, qua vtitur D. Thomas quæ ex doctrina Augustini colligitur. Ille, qui veniam petit, non videtur amplius inimicus, sed tanquam amicum se gerit. Ergo non est tractandus tanquam inimicus: sed cum eo agendum est, ac cum amico; & ita non erit à reconciliatione exteriori repellendus.

Responsio

Non me fugit, quid respondere soleant. Inquiunt enim hoc esse particulare signum dilectionis, quod neque amico debemus ostendere.

Confutatio

Verum hæc euasio nulla est. Nam si casus incideret, in quo amicitiæ conseruatio dependeret ab aliquo peculiari amoris signo, non posses, salua amicitia, & sine offensione, tale signum negare, quo negato ipsa laberetur amicitia. Ita accidit in proposito: cum iste, vt ais, sit tuus amicus, cum odium erga eum non exerceas, & ipse se tibi subijciat, ne existimet, te eũ odio prosequi, debes externis signis, amorem erga eum declarare tuũ.

Ad dexterã pacis, palam dare, te pudet hosti?

Prosp. opusc. de ingratis.
Secunda rõ.

Secunda ratio. Is qui negat signa reconciliationis; cum congruenti modo petuntur, dat causam idoneam ad excitandum odium,

ad fouendas inimicitias. Ergo nō poteſt ſine graui crimine illa negare. Quem enim animū putas habiturum erga inimicum eum, qui ſeruat Chriſti pręceptum de petenda venia, ſi reconciliatio congruenter petita iniuſte denegetur? Non ne, cum ad id faciendum idonea cauſa detur, molietur aliquid mali contra ipſum? non ne ſemper de eius verebitur voluntate? non ne ſemper anxius, ſolicitusq; erit? Hinc grauia incommoda, impenſæ, timores, curæ, & innumera ferè oriuntur mala. Quid enim eſt hoc, niſi ſuffocare fratrem? quod dominus vehementer arguit, ac reprehendit. Quis dicat, poſſe quempiam, ſine animo vindictæ, hæc mala in fratrem ſatisfactionē promittentem contorquere? Legendus eſt D. Proſperi opuſculum de ingratis, vbi cū multa dixiſſet, quæ ad commouendum ad pietatem faciunt, ita ſcripſit. Proſper.

Talia ſubnixus ſi defleat hoſtis, apud te:
Quid referes? quo te affectu cōperta mouebūt?
Conſultus, trepidas, nutas, cūctaris, & hęres,
Quove anceps ſe præcipitet ſententia voluis?
Iniuſtum eſt; animis cognatis non dare pacē.

Tertia ratio. Signa reconciliationis ſunt ſigna communia. Sed iſta ex communi ſententia negari non poſſunt. Quare etiam inimico danda ſunt. Eſſe ſigna communia, ſatis patet ex cap. 15. vbi de natura ſignorum eſt diſputatum. Sunt enim de iure gentium, & conſuetudine apud omnes nationes introdu- Tertia ratio

cta:

cta: & apud omnes populos solent his signis reconciliationes fieri, & damnantur ij, qui sine ratione ea negant. Quamobrem videre nequeo, quomodo sit caritas in eo, qui ista signa negat, cum foras non se prodeat, & ad petitionem fratris non erumpat. Nam caritas, si vera caritas est, magna operatur. Et Proclus Constantinopolitanus Episcopus, vere dixit. Christianus, qui non est diues fide, spe, & caritate, id quod dicitur non est: at iste quidem certe parum se caritate abundare demonstrat. Animaduertenda est diligenter hoc loco quædam D. Anselmi sententia, enarratione quadam in Ioannem. Non enim inquit, aliquis debet credere, quidquid sibi animus de cogitatus sui vita sine operis attestatione respondet. Si enim veraciter interius viuit cogitatus, mox in opere componuntur exteriores motus. Quarta ratio, quæ nititur conclusioni quintæ superius capite 17. positæ. Resalutare inimicum salutantem, est necessarium sub graui offensione, secundum veriorem sententiam. Ergo multo magis necessarium est dare signa dilectionis ei, qui congruenti ratione petierit, dicendo. Vade: dimisi tibi omne debitum vel saltem odium. Aliàs Deus nobiscum aget, vt dominus cum seruo illo, qui noluit dimittere conseruo suo.

In tormenta ferum detrusit, cuncta reuoluens
Debita, dum dignis lueret per vincula pœnis.

Gregorius. Proclus. Alexand. Ricard. de S. Vict. c. 1. 2. & 3. de grad. carit. Anselmus. Quarta ratio Matth. 18. Iuuencus Hispanus.

Quinta

Quinta ratio. Illud facere debemus sub graui peccato, sine quo salutem consequi non possumus. At huiusmodi est dimissio odij per signa externa. Ergo sine iactura æternę felicitatis omitti non poterit. Si non dimiseritis, inquit Seruator, hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Nec mihi iactes interiorem dimissionem, quia dimissio debet esse humana, politica, quæ constet, euangelica, quam Christus docuit: vt sicuti externa iniuria sentis te esse offensum, pariter manifesta dimissione te reconciliatū esse demonstres. Quare sicut interdum de doctrina apostoli non sat est corde credere ad iustitiam: sed opus est confessione ad salutem: ita interdum non sat est, dimittere odium animo, sed opus est exteriori remissione: tunc scilicet cum conuenienter pax fuerit petita. Sexta ratio. Qui iniuriosus fuit debet honorem restituere, & eum, quem contempsit reuereri, atque proinde debet eundem conuenire: Conueniat: velit restituere honorem, petendo veniam. Nonne læsus debebit hanc restitutionem acceptare, si eam ab eo requirit? aut si non requirit, indicare se non laborare odio, & existimare, sibi satis esse factum, aut certe velle beneficio iudicis ab eo omnem satisfactionem reposcere, vt offendentis conscientia, surdo verbere ipsum non percutiat. Postrema ratio. Si quis videret inimicum suum, erga asinum in-

Quinta ratio

Matth. 6.
Mar. 11.
Luc. 11.

Remouetur responsio.

Sexta ratio.

ter-

terram delapſum laborantem, vt illum erigeret; non debebit operam ſuam ei accomodare, etiam inimico non requirente, cum id Deus in ſacra pagina præcipiat? Quanto magis debebit ſubleuare fratrem in terram delapſum, auxilium, & opem à ſe poſcentem? Eget enim gratia, & miſericordia tua, quam ſi negabis, non timebis illud? Iudicium ſine miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiã. Videbis ergo non aſinum, ſed imaginem Dei, fratrem tuum, ex eodem auctore natum, coram te proſtratum, & humiliter flagitantem, non dico, vt illi ſatisfactiones condones, ſed ſolum vt te ei infenſum non eſſe demonſtres, & conticeſces? & viſcera miſericordiæ claudes? nec vnica reſponſione ſubleuabis? O iuſtitiam iniuſtam. O æquitatem iniquam: aiunt enim ſe id zelo iuſtitiæ, & æquitatis facere; cum potius ea de re faciant, vt mundo placeant, à cuius fucata ſpecie trahuntur, à quo amari, eiq; grati eſſe cupiunt. Eſt enim mũdus, vt beatus Iſaac ſcripſit, meretrix quædam, quæ deſiderio pulchritudinis ſuæ ad cõcupiſcentiam ſuam trahit videntes ſe. Verum iſtos cum mundo abire ſinamus; & ijs, qui Chriſtianam pietatem verè profitentur, ac reconciliationem amplectuntur, modum quo ſe conciliare debeant, demonſtremus.

Deuter. 22. Exod. 23. Phocilydes. Iacobi 5. Cęſareus Arelat. Epi. ho. 22. B. Iſaac.

Quibus

Quibus modis, & signis exterior reconciliatio sit facienda. *Cap.* 31.

SOLENT sæpenumero homines ea ratione suas exercere operationes, vt quiduis aliud eos fecisse, quàm quod facere intendebant, si in eas mentis acie accuratius vbi cessauerint, cõuertes, tibi cognoscere liceat. Hoc aũt ea de causa vsu venire solet, quod eo modo quo deberent non operentur; quia vt scripsit Plato. Modus actioni prębet cognomen tũ. Expediet igitur, posteaquã demonstratũ est opus esse signis externis ad conciliandam gratiam, ne in re magni momenti quid peccetur, vt de modo pacificandi, ac de signis, instauratam gratiam idoneè indicãtibus dispu temus aliqua. Verum antequam ad conclusiones descendamus, aliquæ præmittendæ sunt distinctiones. Primum in hac re aliter est loquendum de personis superioribus: aliter de æqualibus, & de inferioribus. Deinde conciliatio bifariam fieri potest: primo quidem absolute, cum sine vlla cõditione fit: secundo cum aliqua conditione, & lege, quæ vel potest addi per modum pœnæ, vel aliqua alia de causa. Præterea conciliatio vel facienda est inter duos, quorum alter est offensus, alter verò offendit; vel inter eos, qui mutuò se iniuriose tractarunt: & tunc vel iniuria vtrinque est par; aut certe est inæqualis. Item vel ambo simul se male tractarunt, vel

Plato in symp. Modus actioni prębet cognomentũ.

Conciliatio variis modis fieri potest.

vnus prius, alter posterius iniuriam fecit. His ita constitutis statuo has conclusiones.
Prima conc. Prima conclusio. Signa, quæ adhibentur in conciliatione, debent esse idonea, & apta ad indicandum plane odium esse depositum.
Ratio. Ratio pro hac conclusione est in promptu. Quoniam ideo adhibentur, vt fidem dimissi odij faciant: quo munere carerent, nisi satis idoneè iam animos esse pacatos indicarent.
Cap. 15. Regula autem ad cognoscendum, an sint idonea, vt supra scripsimus, erit prudens, ac bonus vir, & consuetudo.
Secũda cõc. Secunda conclusio. Modus reconciliationis ex se idoneus esset, si corã duobus, vel tribus testibus fide dignis, offensus ingenue fateretur, se nullo laborare odio erga eũ, a quo lęsus est, in seq; reciperet nolle ei contra iustitiam nocere.
Prima ratio Probatur primo hæc conclusio ex doctrina Seruatoris nostri dicentis. In ore duorum, vel trium stet omne verbum; hoc est omne negocium.
Mar. Ant. Flam. ps. 32. Verbum enim apud hebræos Dauar, sæpe idem valet in sacra pagina, quod res, & negocium.
Secunda rõ. Secundo quia per hos testes posset conuenienter deuenire facti notitia ad ecclesiam, cui debet esse nota filiorum instaurata gratia.
Admonitio Hoc loco illud diligenter aduertendum est; non minus prodesse offenso, quàm offendenti, si reditio in gratiam nota fuerit. Nam si non sit manifesta Ecclesiæ, poterit offensus à sacramentorum susceptione repelli,
Cap. 21. vt patet per canones supra citatos. Tertia con-

conclusio. Ex accidenti fieri potest, vt hic modus reconciliationis non sit idoneus. Declaratur hæc doctrina his exemplis. Primo hoc contingeret; quando, si alia ratione non fieret, oriretur scandalum: puta, si non fieret secundum loci consuetudinem, quam seruandam esse arbitror, si sit rationi consentanea, maxime, cum firmiorem, & diuturniorem redderet reconciliationem. Secundo quando ista euangelica, vt ita appellem, recõciliatio non cẽseretur idonea, & stabilis propter aliquas circunstantias personę, vel loci. Nec quis mihi dicat satis esse seruarę modũ à Christo traditum; quia illa Christi doctrina, qua docuit omne verbum debere esse in ore duorum, vel trium, est communis, & vniuerse accepta est optima regula; at nos dicimus ex accidenti, interdum non esse idoneã. Aliàs dicerem, satis esse conficere testamentum coram duobus, vel tribus testibus, & legislatores non bene requirere plures testes. Sic etiam dicerem ad accusationem non esse opus pluribus testibus, quàm tribus: cum tamen sacri canones ad accusationem Episcopi, & Cardinalis plures requirant. Tertio quando ex hac nuda pacificatione corã duobus, vel tribus facta, non esset tutus, ac securus frater de animo aduersarij: debet enim ex lege caritatis humano modo, cum à metu liberare, ne quid detrimenti sibi afferri contra iustitiam timeat. Quo fit, vt si necessitas

Tertia concl.
Prim' casus.
Secundus casus.
Remouetur obiectio.
Terti' casus

poſcit, debeat dare cautionem de non offendendo, & maxime ſi aliqua lex, vel conſuetudo hoc requireret. Denique ſi aliqua lex extaret de certa ratione faciendæ pacis, ſeruanda eſſet. Ratio huius concluſionis eſt, quia ſemper debet dari ſignum, quod plane demõſtret odium eſſe depoſitum: quod non accidit, cum negantur ſigna, quæ ab alijs dari ſolent, aut neceſſaria per viros prudentes exiſtimantur. Hoc enim exploratum eſſe debet apud omnes, ſigna debere eſſe idonea, & apta ad conciliationem, vt diximus. Nec video, quomodo Chriſtiana caritas ſit in eo, qui cũ ad reconciliationem veniat, idonea tamen ſigna negare audeat. Quarta concluſio. Exiſtente lege, vel ſtatuto, vel etiam approbata conſuetudine de certo modo pacificandi, hic modus ſeruandus omnino eſſet. Primo quidem, quia iſta lex eſſet iuſta, & de re graui, ex qua penderet reip. pax. Ergo ſine graui errore violari non poſſet. Adde ſecundo, quia ſi quis nollet hanc legem ſeruare, videretur non dum odio vacare, & ita ſcandalizaret.

Quinta concluſio. Licèt ex ſe, ſuique natura nemo debeat eiuſmodi facere pacem, quæ poſsit prodeſſe inimico ad veniam, vel impunitatem aliquam obtinendam à iudice: tamen ſi aliàs non cenſeretur plena, & firma, niſi iſto modo fieret, non propterea liberaretur à reconciliatione ſic facienda. Declaratur, ac probatur ſimul hæc concluſio. Solet ſæpenumero

Quartus caſus.

Ratio concluſionis.

Quarta cõc.

Prima ratio

Secunda rõ.

Quinta cõc.

Declaratur Concluſio

numero quæri; an coram tabellione,& publico instrumento, vel scriptura pax fieri debeat: & ad hanc dubitationem in hac conclusione dicimus,ex sua natura hoc non esse necessarium: verum si ex aliqua causa, puta ex consuetudine recepta in eo loco,vel ex conditione inimicitiæ,vel alia de causa, reconciliatio non censeretur firma, & idonea: dicerem non propterea posse offensum pacem non facere, quia inde inimicus vtilitatem capit,vt constat ex his,quę diximus 15. capite. Debet enim offensus fungi officio suo, ac iudici de reo puniendo relinquere curam, de quo existimare debet, nisi contrarium constet, bene administraturum esse iustitiam, & ea facturum,quæ leges requirunt. Imò diligenter sibi caueat, ne dum vult summũ ius seruari,aliquid adhuc odij intus lateat. Deinde videmus sæpe, etiam post pacem publice factam,debitas sumi de reo pœnas. Quod si quandoque secus fit,aduertendum est non omnes nocentes semper,& eodem modo esse puniendos,& prędertim eos quos errati pœnitet,& reconciliationem congruenti modo postulant. Expedit enim reip. interdum,vt pœnæ minuantur. Nec liberam iudicibus facultatē damus, vt pasſim pro libidine, reis impunitatem donent, vt infra latius docebimus. Nec satis video, cur tantopere vtriq; contendant, vnus petendo, alter renuendo, vt publica fidę fiat, vel non fiat pacificatio:

Admonitio pro offenso

nisi quando consuetudo id omnino requireret, aut aliàs non censeretur idonea. Nam cum reconciliatio nota esse debeat, idque ex parte vtriusque, vt ex dictis constat, & non possit esse nota, nisi testibus aliquibus interuenientibus: poterit reus per testes, fidem facere apud iudicem, se cum inimico in gratiã redijsse: & cum hoc consilium capere reus possit; non est cur læsus nolit, maiorem quãdam, ac firmiorem reconciliationem facere, ex qua illustriorem laudem reportabit, ac se, & remp. extincti odij certiorem reddet.

Reconciliatio debet esse nota.

Sexta conc.

Sexta conclusio. Non est necessarium, vt reconciliatio fiat per amplexus, & oscula: imo aliquando non expediret, vt si iniuria esset recens, si animi iratorum essent impotentes. Quod non sit necessarium patet; quia potest fieri per legatum & interpositam personam, & inter absentes. Nec propterea nego, imo laudo hunc reconciliationis modum, cum commode adhiberi potest. Quoniam ex tali reconciliatione maior datur notitia sedatæ indignationis, & aperitur via ad maiorem amicitiã, & alia multa hinc possunt oriri cõmoda. Adde quòd est antiqua, & apud omnes nationes recepta cõsuetudo. Hinc Alciatus.

Conciliatio nõ requirit necessario amplexus.

Alciatus.

Fœderis hæc species, id habet concordia signũ,
Vt quos iungit amor, iungat & ipsa manus.

Septima cõclusio.

Septima conclusio. Pacificatio cum aliqua lege, seu pacto ob aliquem honestum finem non est damnanda. Exempli gratia: si offensus

ſus nollet, vt inimicus ante domum ſuam tranſiret pro aliquo tempore, aut ad conſpectum accederet, maxime quando iniuria eſſet grauis, & recens, & periculum eſſet, ne in aliquē affectum rationi repugnantem laberetur: & aliæ id genus conditiones poſſent admitti iuſtis de cauſis. Octaua concluſio. Conditiones per modum pœnæ à priuata perſona, propria auctoritate, non poſſent adhiberi. Ratio eſt, quia iſta recōciliatio ſaperet vindictam. Ex quo apparet, auctoritate à principe conceſſa, priuatam perſonam, hoc genus conditionum adhibere poſſe. Nona concluſio. Inferiores ſuperioribus, æquales æqualibus conuenienter veniam illatæ iniurię petunt: nō tamen congruenter ſuperiores inferioribus petitione venię ſe conciliarent. Quare Prælati, parentes, Magiſtri, ſi ſibi ſubditos, dum eos caſtigant, aut reprehendunt contumelioſè læſiſſent, non deberent per veniæ petitionem, maxime per ſeipſos factam, ſed alia ratione illos ſibi conciliare. Doctrina hæc eſt communis, & ſumitur ex Auguſtino, cuius verba referuntur d. 86. can. Quando: quæ doctrina intelligenda eſt, quando modum in puniendo excedunt. Aliàs enim ſi vera, & perfecta intercederet iniuria, deberent etiam maiores ſuo modo ſubditis ſatisfacere; vt Gloſ. cap. quando, ădnotauit. Decima concluſio. Quando duo mutuò ſe contumelioſè læſerūt, cæteris paribus, qui prius

Nic. Morſ. q. 50. cōtra ſentire; videtur.

Octaua cōcl.

Ratio.

Nona conc.

Prælat' quo modo debet ſe conciliare cum inferiori.

Auguſt.

Gloſ.

Decima cōclusio.

Syluester Mutius

iniuriam intulit, deberet etiam prius reconciliationem petere. Ita docet Syluester in aurea rosa, & etiam Mutius hoc adnotauit. Ratio potest deduci à simili de pecunia persoluenda; nam qui prius debitum contraxit, prius quoque dissoluere illud debet. Diximus, cæteris paribus: quia si is, qui posterius lęsit, longe maiorem intulisset iniuriam, deberet fortasse prius pacificationem quære re: maxime si iniuria illata esset ad remouendam iniuriam acceptam. Vndecima conclusio. Quando mutuò se prouocarunt, si aliqua intercesſit iniuria, & vtrinque est aliqua offensio facta, per interpositam personam possent simul ad reconciliationem venire. Diximus hoc capite vniuersè de modis pacificationis; & quoniam non omnia hac communi doctrina comprehendi potuerunt; rursus aliqua speciatim de eadem re, sequenti capite disputabimus.

Vndecima conclusio. Quomodo, & qñ. pax rumpatur & qui pace ligentur lege apud Nicol. Moronum tra. de fide, triegua, & pace.

De quibusdam dubitationibus circa modum pacificationis faciendæ. Cap. 32.

CVM res humanæ infinitis propemodum modis variari, ac multiplicari poſsint, ita vt communi quadam doctrina, vt Aristoteles scripſit, comprehendi nequeant: non erit sine magna vtilitate, si præter ea, quæ diximus de ratione conciliationis, quædam alia speciatim de eadem re adscribemus. Volui

Aristot. Lib. 1. Rhe. cap. 1.

autem

autem quæ dicenda ſunt ad dubitationes reuocare, vt breuius, & planius tradantur. Prima dubitatio. Ad quos modos quæuis reconciliationis ratio eſt reuocanda? Reſpondetur. Tres ſunt modi, ſub quibus alij omnes continentur. Nam vel fit verbo; vel corporis ſubmiſsione, quo modo Semei cōciliauit ſe cum Dauide: vel obſequio, qua ratione Iacob conciliauit ſe cum Eſau, cuius modi mentionem fecit Paulus ad Romanos capite duodecimo. Secunda dubitatio. Sit ſtatim reconciliatio facienda nec ne? Reſpondetur. Cum hoc præceptum ſit affirmatiuum, obligabit ſuo tempore, & loco. Et ita ex ſui natura nemo eſt obligatus ſtatim reconciliationem quærere ſub graui peccato: licèt ſemper aggrauetur culpa, cum quis poteſt gratiam inſtaurare, & negligit. Quando autem ſub noua offenſione obligetur homo ad id faciendum, non eſt huius loci exponere. Eſt tamen optimum conſilium Pauli, ne ſinamus ſolem occidere ſuper iracundia noſtra: & Pythagorei, vt aliqui ſcribunt, id ſeruabant. Verum cauendum eſt, ne dum quis diutius in diſcordia perſeuerat; proximo ſcandali occaſionem præbeat. Tertia dubitatio. Quid faciendum eſt cum aliquid dictum, aut factum fuerit, non animo faciendi iniuriam, & tamen proximus arbitratur ſe iniuria eſſe affectum? Reſpondetur. Qui ita ſe geſsit, debet adire fratrem, & mentem

Prima dubitatio.
Reſp.
2. Reg. 19.
Secunda dubitatio.
Reſp.
Ephеſ. 4.
Auguſt.
Steuch.
Tertia dubitatio.
Reſp.

illi

illi aperire suam, & patefacere, se noluisse illum contumeliosè tractare, & affirmare, quę dixit, quæve fecit, bono se animo fecisse.

D. Paulus.

Nam de sententia apostoli, non modo debemus abstinere à malo, sed etiam a specie mali. Et dominus dixit. Si quid habet frater tuus aduersum te: idest, quidquid illud sit, de quo potest tecum expostulare.

Locus expositus.

Quarta dubitatio.

Dubitatio quarta. Quid agendum est, cum quis requisitus de pace facienda, dicit se nolle conciliare gratiam, quod nullam putet se accepisse iniuriam, cum tamen probabiliter credatur, factam fuisse iniuriam.

Resp.

Respondetur. Deberet iste reuera, voluntatem suam aperire, ac declarare se id serio asserere, & ostendere palam se nihil contra fratrem habere; vt frater vacuus timore viuat: & maxime cum is, qui petit pacem, aliquid fecerit, aut dixerit, vnde potuit iniuria proficisci. Nulla.n. subest ratio, cur hanc animi sui patefactionem negare debeat. Nam si contractum est odium, si ira intus ardet, res certa est: sin minus, nihil est cur velit fratrem contristare, & eum dubium de amicitia reddere.

Quinta dubitatio.

Quinta dubitatio. Si quis secreto offendisset, & iniuria affectus vellet reconciliationem, & satisfactionem sibi palam fieri: esset ne offendens ad hoc obligatus? Et è contra: si palam læsit, an satis esset, si secreto fieret reconciliatio?

Resp.

Respondetur. Et quantum ad primam partem huius dubitationis, dico; neminem

minem esse obligatum ad talem modum reconciliationis: quia non seruaretur iustitia, & plus restitueretur, quàm acceptum esset. Ad alteram partem dico, necessariam esse publicam satisfactionem; & hoc potest probari ex facto Diui Pauli, cui nō fuit satis, quod occulte dimitteretur. Sexta dubitatio. Quid faciendum est reo, cum læsus non vult condonare iniuriam, sed manet eius voluntas obstinatior, & in iracundia affirmatior, & omnino reconciliationem respuit? Respondetur ex Diuo Augustino. Reum esse liberum ab omni obligatione, si modo damnis satisfecerit, si quæ facta sunt, & ea restituerit, quæ restituere potest. Nam cū fecerit quod in se est, ad nihil amplius obligatur. Dubitatio octaua. Si iniuria esset grauior, ratione loci in quo est facta; est ne remouenda eo dem loco? Respondetur. Id non esse necessarium, sed satis est, si satisfactio aliquo modo nota fiat. Nona dubitatio. Quando fit pax, & non remittuntur actiones, quas habet offensus cōtra inimicum, quæritur, quid remittatur in tali casu? maxime quando iam restinctum est odium. Respondetur. Re-uera, nulla tunc intercedit remisio, sed solū certior fit inimicus de indignatione sedata, ac etiam securus redditur de æqua voluntate offensi, ita vt non debeat amplius timere, ne contra iustitiam ipsi nocere velit, & ita à timore vltionis liberatur. Verum vt plurimū

Act. 16.

Sexta dubitatio.

Resp.

Octaua dubitatio.

Resp.

Nona dubitatio.

Resp.

per pacificationem cessare solet iniuriarum actio, maxime cum aliqua restitutio honoris, & famæ intercedit. Decima dubitatio. Si princeps aliqua de causa, puta, quia ei natus est regni successor ob publicam letitiam, vellet omnibus exulibus, & iniuriosis hominibus parcere, si pacem ab ijs, quos iniuria affecissent, intra sex menses habuerint: quæritur, an offensus hoc tempore sit obligatus facere pacem, vnde offendens vtilitatem reportabit aliquam. Quæ res potest quotidie incidere, cum iudices, & principes soleant indulgere reis, ac mitius cum eis agere, si pacem obtinuerint. Respondetur. Iuxta ea quæ superius docuimus, si debito, & conuenienti modo pax hoc tempore petatur, censerem offensum non debere negare pacem, licèt aliquid commodi inde capiat reus. Nam posita conuenienti petitione, de qua supra scripsimus, nõ video cur negare debeat is, q. Christianè viuere cupit, reconciliationem; ne offendenti prosit, dum impedimento esse vult ne gratia à principe, aut iudice concessa gaudere posit. Verum etsi hæc doctrina in vniuersum tradita vera sit: tamen ratione aliquarum circun stantiarum casus incidere possunt, in quibus aliter sentiendum sit. Quare si is qui iniuriosus fuit, esset facinorosus homo, reip. perturbator, qui aliàs pacem fregisset, posset quis à pace hoc tempore facienda se sustinere. Præterea animaduertendum esset,

Decima dubitatio.
Resp.
Cap. 26.
Casus quidã
Admonitio

esset, an iniuria esset vetus, an recens, an leuior, an grauissima. Item, si intra hoc tempus data opera facta fuit, ad veniam facilius à principe impetrandam. Denique si inde maius exoriretur malum, veluti perturbatio familiæ, & domestica inimicitia quod in omni pace facienda erit animaduertendum. Vndecima dubitatio. Quando plures essent iniuria affecti, & aliqui, puta omnes, vno excepto, nollent se reconciliare, etiam pace conuenienter petita: an ille vnus sit obligatus ad pacem faciendam? Responderem, non esse obligatum, simpliciter loquendo: tum quia eius conciliatio reo parum prodesset: tum etiam, quod inter affines facile excitaretur contentio: de hoc enim casu quærimus, quãdo illi plures, ad quos permeauit iniuria, essent affinitate coniuncti: secus enim se res haberet, si personæ læsę essent omni vinculo affinitatis, seu societatis solutę, quarum vna sine alia posset pacem facere. Non negarem tamen, etiam in priori casu, aliquando vnam personam debere gratiam conciliare, cum scilicet aliæ non refragarentur, & expediret offendenti cum hac persona extrinsecus gratiam conciliare. Quando autem ob aliorum peruersitatem reditus in gratiã impediretur, satis esset, si ostenderet, se esse paratum ad pacem faciendam. Duodecima dubitatio. Quo modo pacificator, & confessarius maxime se gerere debeant, in suadenda pacificatione

Vndecima dubitatio.

Resp.

Duodecima dubitatio.

offensis.

Resp. offensis. Respondetur. Esto cautus & prudens; opportunitatem ad id, quod intendit, conficiendum nanciscatur: non statim obliget ad peccatum mortale, maxime rudiores, & dum iniuria est recens, & quando grauior existit, & is, qui læsit, non parum conscceleratus est, & quando omnino ob iudicis iniquitaté impunitus abiret, non ita vrgeat, & inculcet, vt iratos obstinatiores reddat: animis dolore amissionis, parentum, filiorum affectis, largiatur aliquid. Denique imprudentia sua plagam, quam sanare cupit, non magis exulceret. Et hæc de his dubitationibus circa modos faciendæ pacis, de quibus multa excogitauimus, vnde multæ aliæ dubitationes enodari poterunt, dicta sufficiant.

Adinonitio vtilis pro cõfessariis & pacificatoribus.

Si quis de me hoc loco quærat, cur nihil de modis pacificationis, & restitutionis honoris, iuxta mundum, vt loquuntur, neque hic, nec alibi scribo; dicerem, omnem præceptionem de re aliqua esse debere; cum autem mundanus honor, quem vocant equestrem, nihil sit, & si quid esse videtur, est quid fictú, fucatum, falsum commentitium, supposititium, ementitum; propterea ne circa nihil laboremus, ad ea explicanda per quæ pacificationes faciliores factu fiant, accedamus.

Honor mundanus nihil est.

Omni

Omni iniuriæ, verbis, etiam in absentia prolatis, satis fieri posse demonstratur. Cap. 33.

CVM hic mundus sit quasi quidam magnus ægrotus, qui multis, diuturnisq; morborum generibus laborat; est enim in maligno positus: danda profectò opera est, vt ei, quantum fieri potest, ne decedat, medicina fiat. Inter cæteros autem quibus affici tur morbos, hi sanè grauissimi, & bene inueterati sunt, ossibusque, ac medullis ei inhærent; quod iniuriæ factis illatæ, verbis satisfieri non posse existimet: aut si vlla ratione satisfieri potest, opus esse, vt offendens se se in manus inimici ad eius libidinem tradat: quæ, quantum à veritate absint, quantum remp. perturbent, præcipue hoc capite demonstrare intendimus, vt veritate perspecta, ab his grauibus, & perniciosissimis morbis, mundus liberetur. Quod autem verba ad quamuis iniuriam abolendam sint accommodata, communis meliorum doctorum docet auctoritas. Ita Antonius Bernardus, qui eleganter, & peracute hoc probauit. Vterque Posseuinus, Hieronymus vrrea, Ioannes Baptista Pigna, Mutius, & alij quamplurimi, quorum auctoritas magis commouere debet, quàm totius vulgi ineptæ, & pueriles voces. Docuit etiam hoc idem Aristoteles in secundo libro rhetorices, vbi locos ad dissoluendam calumniam tradebat. Præterea

Mundus magnus quidã ægrotus.

Mundus quibus morbis laboret.

Quęuis iniuria verbis remoueri potest.

Prima ratio Ant. Bern. Posseuin. Hierony. vr. Pigna. Mutius.

Arist. c. 19.

Secunda ratio. cum verba magis apta sint ad inferendam iniuriam, quàm quæuis verberatio : erunt quoque magis apta ad eam remouendam. Et licèt quod assumitur paradoxum videri possit: tamen res certissima est, cum nihil magis declaret intentionem agentis, quàm verba, & iniuria, vt supra scripsimus, ab intentione pendeat. Magis enim constat, aliquem esse in vitio, si fur, vel iniustus appelletur, quàm si aliqua percussione lędatur. Hinc est, quod mentitio magis hominem lædit, quàm verberatio; quia hæc non indicat ita clare, hominem esse in vitio, vti mentitio. Illud obiter hoc loco adnotauerim, nemini id oneris esse impositum, sub pœna amittendi honoris, vel famæ, vt sibi debeat cauere, ne ab aliquo vapulet: aliàs enim esset in potestate cuiuscunque, quemlibet fama spoliare. Quare si verbis facilius fit iniuria, verbis quoque facilius remouebitur. Deinde abiretur in infinitum in iniurijs, & vltionibus, si iniurijs non posset satisfieri verbis. Nam si me cæderes, vt hac ratione tibi satisfieret: deberem ego quoque uicissim te verberare, cum me iniuria afficias, dum iniuriam tuam per te vlcisceris: hoc enim esse contra iustitiam, iam ex dictis constat. Quare pro magna iniuria iniuriosus necandus esset, & qui hunc occideret, trucidari deberet: & ita humana politia destrueretur funditus. Explodatur igitur ista opinio, tanquam perniciosissima toti humano

Iniuria facilius fit verbis quã percussione.

Cap. 4.

Hier. Vrrea parte. 3. Rain. Corf.

Homines nõ sunt obligati cauere ne sibi fiat iniuria.

Tertia ratio

Cardanus l. 3. de consolatione.

Iniuriã vel facto tollere est destruere gen' humanum.

no generi. Sequeretur præterea, honorem eſſe cauſam euerſionis felicitatis humanæ, cũ tamen ad conſeruationem eius appetendus, ac dirigendus ſit. Quare ipſamet honoris natura indicat, per verba cuique iniuriæ fieri poſſe ſatis.

Quarta ratio. Honor ipſe monet ne iniuria facto tollatur.

Adde præterea; natura, ne in neceſſarijs deficere videatur, cuique morbo medicinam debuit parare. Ergo cum non ſit aliud idoneum ad iniuriam verberibus factam tollendam remedium, quàm verba, per verba auferri poterit, & debet.

Quinta ró. Natura non deficit in neceſſariis.

Denique per verba in duello ſatis iniuriæ fit, etiam ſi verberibus facta fuerit, vt omnes, qui de duello ſcribunt docent. Cur non itidem extra arenam, eandem vim habebunt, cum magis ſe timere indicet, qui procul à periculo per verba ſatisfacere curat? ex quibus colligitur errare eos grauiter, qui dicunt, vix poſſe reperiri modum, quo iniuria facti tollatur; qua in re inter alios errauit Conradus, quorum doctrina, preterquam quod falſa eſt, reſp. humanæ maximo detrimento eſſe ſolet. Et hęc quantum ad primam partem huius capitis diſputata ſint.

Sexta ratio. Ariſt. 2. rhe. cap. 5.

Conrad. concluſió. 11

Hanc alteram paucis explicemus. Quod igitur non ſit neceſſarium, neque expediat, vt reus ſe det in manus actoris, his rationibus perſuadetur. Primum, auctoritate ſcriptorum, & maxime Epiſcopi Caſſertani libro quinto euerſionis ſingularis certaminis ſectione vndecima. Idem docet Antonius Poſſeuinus libro ſecũdo, Mu-

Pacificatio non requirit, vt reus ſe det in manus actoris. Prima ratio. Anton. Ber.

Anton. Poſ. Mutius

 tius

Hier. vrre. tius libro tertio capite 16. Hyeron. Vrrea.
Pigna. Ioannes Baptista Pigna libro tertio cap. nono; qui locus legendus est. Secunda ratio
Secunda rō. sumitur ex incommodo. Nam hic modus pacificandi, quippe qui non est admodum præsentaneus, & honestus, sæpenumero pacem impedit, & ex eo grauiora scaturiunt mala, vt vsus sæpe docuit. Tertio, aut vis supplicem, & inermem coram te constitutum percutere; aut illæsum remittere: primum nulla ratione eligere potes ob has causas.

Tertia ratio.

Inimicum supplicē nō licet occidere. Primo, quia inde inimicitię grauiores orirentur, vt ex illustri exemplo Pistoriensium, cuius qui de duello scribunt, mentionem faciūt patet; quod factum nemo est qui non vitupe-

Prima ratio.

ret, & damnet. Deinde hanc rationem conciliationis per percussionem, præter auctores supra citatos reprobant Conradus, & Iacobus Hispanus libro quarto de duello. Cynus l. libertas §. serui ff. de stat. homin. & asserunt omnes, id esse contra omnes leges. Bartol. l. 1. §. vsque adeo. ff. de iniur. facit ad rem tex. c. contingit, de sent. excom. Est enim res omnino sordida, & illiberalis, velle inermem, & supplicem offendere, in quo Virgilium peccasse aliqui affirmant, dum Æneā virum fortem, & pium, occidentem Turnum supplicem facit.

Conradus. Iacob. Hisp. Cynus. Bartol. Alia ratio. Virgilii error.

Ille humilis, supplexque oculos, dextramque precantem, (inquit.
Pertendens: equidem merui, nec deprecor.

Adde

Adde, quod per iniuriam nunquam tollitur iniuria. Demum reconciliatio non debet intendere pœnam, quam sumere iudicis est. Si autem non vis percutere: aut illum securum reddis huius rei: aut non reddis. Si in te recipis, nolle eum iniuriosè tractare, & id notum est alijs, rem risu dignam, & frustratoriam facis. Si alij ignorant, te ei securitatem pollicitum fuisse: tamen semper suspicabuntur, non temere ad te accedere, sed sub tua, vel aliena fide securum; quam fidem nunquā honoratus, & fortis vir franget, cum etiam hosti, quidquid scripserit Zasius, sit seruāda. Si verò aliqua ratione securum non reddis: proculdubio non accedet, cum nihil ei possit accidere incommodius, quàm si à te læsus fuerit; si verò id facis, vt verba apta ad satisfaciendū pronuntiet, frustra laboras. Possunt enim huiusmodi verba adhiberi, etiam si non sit in præsentia tua constitutus: & semper erunt magis apta ad satisfaciendum, si in absentia quā si in pręsentia dicantur, cū sint magis libera, & maiorē offensoris timorem indicent. Si dicas, hoc ea de re facio, vt ei timorē incutiā. In primis non facile creditu est, eū timere, si ad te accedit: & si timet, habebit te pro sordido, & illiberali equite, quippe qui possis, aut velis eum contumeliosè tractare. Et multo minus id facere tibi licet, vt ex hoc facto quandā inanē gloriā colligas: qa vel ij, qui de te bene sentiunt, hoc non credent: vel

Alia ratio.

Fides seruanda etiam hosti. Zasius.

Verba in absentia dicta magis satisfaciunt quā si in præsentia dicātur.

si credent, te pro ambitioso, & inepto habebunt. Deinde hic modus honoris recuperandi cum non demonstret aliquam virtutem, & maxime fortitudinem, cum semper læsus sit securus, & aliorum fultus præsidio, reus verò inermis, reijciendus omnino est. Ad hæc is qui se coram iniuria affecto prosternit, se nimis abijcit, & deijcit, & proinde apud alios vilescit; quæ res cedit etiam in ignominiam actoris, cum ei agendum sit cũ homine mollis, & fracti animi. Quare satis est prima illa demissio, & infractio, quæ fit in absentia, dum errorem agnoscit suum. Iam verò non parum prodest iniuria affecto, vt contumelia accepta minuatur, quàm ipse augere videtur, dum arduam, & summam satisfactionem exigit. Denique vix hoc fieri potest sine læsione æquitatis, dum nimis de honore nocentis detrahitur. Quod si dicas; si secus fecero famam nõ recuperabo, quia sic mundus, hoc est homines huius mundi, sentiunt. Esto ita vulgus sentiat; tamen stultorum, & vulgarium insulsum, & fatuum iudicium, de Cleanthis sententia, non est curandum.

Tertia ratio

Quarta ratio Actori expedit, ne reus valde se deiiciat.

Quinta rõ.

Postrema rõ

Vulgi iudiciũ non curandum.

Cleanthes

Clemens Alex. l. 5. strom.

Nec species famam dũ vis sophos esse repente
Terreat amentis, nec te sententia vulgi.
Iudicium sapiens, & iustum non habet vllum
Vulgus.

Reiectis his duobus impedimentis pacificationis, modos quibus facilior redditur recon-

conciliatio, & qui facile possint reconciliationem amplecti, sequenti capite demonstremus.

Ostenditur, qui saluo honore facile reconciliari queant. Cap. 34.

CLEMENTIA, quę nihil aliud est, quàm quædam lenitas, & temperantia in constituendis pœnis, adeo necessaria est; vt non modo hominibus, sed etiã belluis, eius semina quædam prouida indiderit natura. Sunt enim bellue, quę prostratis parcunt, in viros potius quàm in feminas sæuiunt, & leones, non nisi magna fame coacti, infantes perimunt. Vt sapienter Terrentius scriptum reliquerit. Nihil esse homini melius facilitate, atque clementia. Quæ cum ita sint, quando potissimum deceat homines clemẽtia vti, quando iniuria fuerint affecti, hoc capite docere intendimus, idque vt planius à nobis fiat, aliqua prænotare oportet. Primo aduertendum est, pœnam, seu castigationem & vltionem differre, vt ex doctrina Aristotelis constat, & præsertim quarto Ethico cap. 12. quo loco eos vituperat, qui mortuos, aut pœnè mortuos lædunt. Nam in primis pœna respicit offendentem: vltio verò offensum, qui ira, & odio flagrans, appetit explere animum, quo expleto acquiescit, etiam si nullus intercedat corporis cruciatus. Pœna verò

Clementia quid sit.

Solinus lib. 4. c. 1.

Terentius. Facilitate nihil meli⁹.

Pœna, & vltio quid different.

Arist. 1. Eth. cap. 12.

Aristot. Verg. 2. Aeneid.

Pœna quid.

est castigatio offendentis, qua non modo fit recuperatio honoris, si quis propria auctoritate percutiat, sed amittitur honor. Ex quo patet errasse quendam recentem scriptorem, qui docuit licere castigare auctoritate propria. Adde, quod qui personati, aut de nocte inimicos percutiūt, puniunt quidem, sed non vlciscuntur. Notandum est præterea, iniurias esse in duplici differētia: alteræ sunt veræ, quæ habent omnes circunstantias, & conditiones ad iniuriam cōficiendam necessarias: alteræ non sunt veræ, sed apparentes, cum deest aliqua conditio, quæ ad veram iniuriam constituendam requiritur: & quando iniuria est huiusmodi, statim potest fieri pacificatio. Quam ob rem pacificator debet diligenter aduertere, an offensæ aliqua desit conditio, vt non reponat in genere iniuriæ eam offensionem, quæ reponenda non est. Propterea aiebat Aristoteles, considerandum esse totum, non partem tantùm: hoc est: aduertere oportet omnes circunstantias, ex quibus integra conficitur iniuria. Notandum est præterea, neque verba, neque læsiones ex sua natura facere iniuriam, sed requiruntur conditiones superius enumeratę, & præsertim intentio, & modus. Itaque & intentio, & aliqua operatio exterior requiruntur ad formandam iniuriam, & altera nō sufficit. Nam verba bona, si modum, & intentionem inspicias, possunt esse iniuriosa, puta si ironicè dicantur: vt illa.

Error cuiusdā auctoris.

Qui puniendo non vlciscantur.

Iniuria vera, & falsa.

Pacificator quid attendere debet.

Arist. 1. rhe. cap. 13.

Locus explicatus.

Cap. 2. Iniuria qua re potissimū constet.

Egregiam verò laudẽ, ampla spolia refertis
Tu, puerque tuus.

Verg. lib. 4. Aene.

Et verba mala non erunt iniuriosa, si per modum iniuriæ non dicantur, vt si ioco diceres. Latro es. Quare errant toto cœlo, qui per quæcunque verba, & per quamcunque percusſionem fieri iniuriam putant.

Error quorundam.

Demùm illud pro confeſſo haberi debet, vt aliàs diximus: magis verba apta eſſe ad faciendam iniuriam, quàm percuſſiones. His conſtitutis, dicimus in primis, oẽs homines debere eſſe pronos ad ignoſcendum, cum iniuria non fuit vera, & plena; ſed fuit ſolum offenſio ſine contemptu; & qui contra faciunt iniuſti ſunt, & præter naturam conſtituti. Dicimus prætereà etiam veras iniurias condonandas eſſe, vt patet ex Ariſtotele 2. Rhet. c. 3. & 1. Rhet. c. 13. & 6. Eth. c. 12. quo loco aſſerit eſſe ſignum boni viri, eſſe maxime idoneum ad ignoſcendum. Illi autem, quibus potiſsimũ ignoſcendum eſt, enumerantur ab eodem 2. Rhet. c. 3. Veluti ijs, qui non contemnunt, & ſi contempſerunt, nollent feciſſe; ijs quos pœnitet, & veniam petunt. Nam iſti primo de ſeipſis quodammodo pœnas ſumunt: deinde cum ſe humiliter gerant, videntur minores, & ſe victos eſſe demonſtrant. [illegible] qui his non parcunt, ſunt canibus [illegible] leonibus, qui humi proſtratos non mordent, cum ſentiant quodam naturæ impulſu ſe viciſſe, crudeliores.

Iniuria magis fit verbis quàm verberibus.

Ignoſcere quãdo quis debeat.

Iniuriæ veræ condonãdæ ſunt.

Ignoſcendũ quibus ſit.

Pierius legẽdus eſt lib. 1.

Ouid. *Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.* Quod si interdum Aristoteles nõ esse dandã veniam dixit, intelligendus est, cum venia nõ petitur, aut error non manifestatur. Dices; tunc læsus fieret præda Mysiorum. Respondet Antonius Bernardus, nullam esse maiorem pœnam, quàm ore suo errorem cõfiteri coram viris probis: & qui sunt iniuria affecti, nulla re magis lætari possunt, aut solent, quàm si prostratos inimicos videant. Et ita nulla erit maior vindicta; cum hac ratione valde animus expleatur, in quo posita est (vt supra scripsimus) eius natura. Sed tamen vir bonus solum ea de causa hoc requiret, vt honor sibi restituatur, & iustitia seruetur; non vt de ignominia proximi lætetur. Dices, non redditur par pari, maxime cum læsio factis facta fuerit, & ita non seruatur iustitia. Respondetur, par pari reddi in aliquo æquiualente, & hoc satis est ad iustitiam instaurandam, vt Philosophus in Ethicis docet. Et vt diximus, viro honesto nulla est maior pœna, quàm si se errasse liberè fateatur. Quo fiet, vt hac pœna punitus, in posterum ab iniuria facienda se sustineat. Si item vrgeas: quo modo per sola verba fieri satis potest iniuriæ illatæ per occisionem parentum fratris, filiorum, cum hæc iniuria sit grauissima, & verba sint leuissima? Respondetur, & in primis illud ponendum est; facta infecta fieri nõ posse: hoc enim solo, vt dixit

Dubitatio. Prouerbium

Responsio

Seneca.

Cap. 14.

Viri probi munus.

Dubitatio.

Responsio

Arist. 5. Eth. cap. 5. Par pari quo modo reddatur.

Dubitatio

Resp.

Agathon

Agathon, priuatur Deus, ac propterea ęquo animo est hæc calamitas ferenda; & curandũ est ne reip. status perturbetur, propter quã remp. omnia incommoda ferenda sunt: & illa satisfactio acceptanda est quæ dari potest, qua adhibita, nõ est cur amplius requirat is, qui cum ratione viuit. Sed dicat quispiam: res si ita habet, non erit differentia inter veras, & falsas iniurias, si omnes æquali modo, scilicet per verba, tollendæ sunt. Erit quidem differentia, cum alia verba in falsis tollẽdis, & veris remouendis sint adhibenda. His positis admonitionibus, regulas quasdam adscribemus, quibus demonstrabitur, qui sine difficultate posint inter se gratiam conciliare. Prima regula. Si affectus iniuria sit viribus inferior offendente, potest facilè pacem facere. Nam cum non potuerit viribus proprijs se tueri, nihil de eius honore detractum est: sed offendens est inhonoratus; cũ ita se gesserit, ac si surdam terram verberasset. Secunda regula. Si offensus sit fortior, & offendens imbecillior, tunc etiam sine difficultate pacificatio est amplectenda: cũ non deceat, virũ fortem exercere vires suas in imbecilles. Hinc Turnus apud Virgiliũ, ita ad Drancẽ, à quo grauiter læsus fuerat, loquit.

Arist. 6. Eth. cap. 8.

Dubitatio

Responsio

Regulę quibus ostendũtur, qui facilè pacem facere posint

Prima reg.

Ratio

Secũda reg.

Virgilius.

Nunquam animam talem dextra hac (absiste moueri)
Amittes: habitet tecũ, & sit pectore in isto.

Quod decorum non videtur Virgilius seruasse,

Verg. error lib. 2. Aen. uasse, dum facit Æneam cogitatem de nece Helenæ in templo Vestæ.

Namq; , etsi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudē
Extinxisse nefas: tamē & sumpsisse merēteis
Laudabor pœnas, animumq; explesse iuuabit.

Vt meritò Varro, & Zucca hos versus sustulerint, quorū ibi sententiam laudat Seruius. Seruius.

Tertia reg. Tertia regula. Si æqualis ab æquali pari conditione læsus fuerit, nihil est cur statim recōciliatio fieri non debeat, cum nulla ferè in tali casu intercedat iniuria. Quo loco monendus est prudens miles, nemini sub pœna amittendi honoris impositum esse, vt debeat quouis alio fortior existere, maxime si de fortitudine, & robore corporis loquamur, & ideo si in dimicando inferior fuerit, & maiorem acceperit plagam, non erit quamobrem inhonoratus habeatur. Adde etiam, quòd sæpe euentus pugnæ à casu, & à fortuna dependet. Quarta regula. Qui non profitetur arma, si iniuria affectus fuerit ab eo, qui arma tractat, quamuis fortasse robore, & virtute non sit inferior illo, non grauatè gratiam reconciliet. Idem dicendum est, cum inter duos, qui artem militarem non profitentur, exorta fuerit dissensio. Quinta regula. Qui dolose, & qui non æqua conditione, cum scilicet à pluribus, vel non paribus armis offensus fuit, reditum in gratiam respuere non debet. Nam in his casibus vix contrahitur contume-

Nullus miles habet hoc oneris impositū vt debeat esse quouis alio fortior.

Quarta reg.

Quinta reg.

tumelia. Solum enim recta requirit ratio, vt vnus contra vnum ęquabili conditione depugnet. Idem dicas de eo, qui clam offensus esset. Sexta regula. Si quis vituperetur, quòd eam nesciat artem, quam non profitetur, non debet existimare sibi factam esse iniuriam, aut si qua facta est, pacificationem non renuat. Cum solum ea ignorátia possit vitio dari, qua quis viuendi, & suæ artis regulas ignorat. Septima regula. Licèt grauior facta esset per contumeliam honoris, & famæ iactura, si tamen aliquis illustris vir vellet duos inter se conciliare, atque ab illis peteret, vt omnem eorum quærelam, & satisfactionem in eius prudentiam remitterent, possent id efficere, atque eius decreto iusto acquiescere, nec aliquid amplius requirere. Postremo aduertendum est, expedire offenso, cum ei debita, & honesta proponitur pacificatio, eam amplecti; imò non potest prudenter recusare. Nam prudens eques potius debet velle cum pace, honesta habita satisfactione, quàm sine honore cum discordia, & vitæ periculo viuere. Qua ingeniosa ratione vir omni scientiarum genere politissimus Felix Accorombonus reconciliationē respuentes, & vltionem appetentes ad instaurandam beneuolentiam sæpe traduxit. Quę ratio ita vrget, vt si quis talem conciliationem reijciat, inhonoratus iure optimo haberi debeat, & à viris prudētibus habeatur.

Solum vnus cum vno pugnare debet

Sexta regula

Septima reguula.

Admonitio notanda.

Felix Accorombonus laudatur.

Hit

His positis hoc capite regulis, rursus alias sequenti capite afferamus.

Quomodo reconciliatio facilis reddatur, & de formulis reconciliationis. Cap. 35.

Hippoc. l. 2. aphor. 51. VEre illud litteris commendatum ab Hippocrate fuit: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. hoc est; omne nimium naturæ esse inimicum, cum nihil, quod modum excedit, vt alibi idem auctor scripsit, esse bonum possit. Lib. 2. aph. 4. Cum autem facile homines verbis & factis contumeliosis excedant, difficile verò verba, & facta inueniant, per quę ad modum, & mediū inæqualitas reducatur, vt facilius recōciliationes fiant, quasdam formulas pacificationis ex varijs auctoribus collectas hoc loco adscribere, atque simul quasdam regulas ad recōciliationis leniendas adnectere non dubitaui. Prima reg. In primis igitur nulla erit reconciliatio, quæ facile fieri nequeat, si ij, inter quos dissensio viget, ob oculos veritatē, & iustitiam, ac publicam vtilitatem, quam potissimum spectare bonus ciuis debet, habuerint. Ciuis bonus publicā vtilitatem spectare debet. Secundo facilis pacificatio redde-tur, si is qui læsit, dicat, ac demonstret, se honoris sui, aut vitæ, aut rerum externarum defendendarum causa coactum fuisse ad offendendum. Secūda reg. Et denique quotiescunque iniuria reducetur ad causam, quæ videatur eum qui iniuriam fecit, compulisse. Vniuersalis regula. Vt ecce, si au- Exempla

cto-

ctoritate alicuius impulsus fuerit: si alicuius damni maximi vitandi gratia: si vt scandalum tolleretur. Tertio si reuocabitur iniuria ad aliquam ignorantiam, quæ tamen non sit culpabilis: & si eiusmodi sit ignorantia, quę damnāda esse videatur, adhuc aliquo modo poterit leuare factum, aut dictum contumelia, cum non sit hominis omnia scire, & præuidere. Hùc pertinet etiam, si per errorem quis alterum percusserit. Quarto si dicatur ob aliquā animi perturbationem, veluti ob iram, desperationem, amorem, se aliquem læsisse. Quinto si factum, aut dictum anceps, & dubium fuisse demonstrabitur, vt in bonam, & malam partem accipi potuerit. Sexto si quis dicat, id quod fecit, se ioco, & non malo animo, vel etiam casu fecisse. Et denique si actio illa, qua illata est iniuria, mala intentione spolietur. Ita tamen ista adhibenda sunt, vt quod in excusationem iniurię adducitur, verum sit. Quando autem verè constat, data opera, & plena deliberatione illatam esse contumeliam, ita vt qui iniuriosus fuit, non posit modis dictis se excusare, difficilior erit pacificatio; quia graue est erranti, liberè errorem fateri suum. Sed vir fortis, ac honestus eques tunc fortior, & honestior erit, si veritatem ingenuè fatebitur, & mendacio offensam grauiorem reddere noluerit. Septimo cum omnis iniuria fiat facto, aut verbo, omnis etiam erit remouenda

Tertia reg.

Admonitio

Quarta reg.

Quinta reg.

Sexta reg.

Reg. vtilis.

Admonitio

Quando sit difficilis pacificatio.

Septima regula.

da facto, aut verbo, licèt non satis efficaciter solo facto tollatur, sicuti nec facile solo facto sine verbis infertur; quàmuis facto fieri, & auferri posse non negem, quod quidam recens scriptor, non satis prudenter negauit. Antequam autem veniamus ad formulas, quibus pacificatio facienda est, quædam aduertenda sunt. Primum, si quis velit honori, & famæ suæ consulere, quando iniuria infertur, nullo meliori modo id faciet, quàm si verbis propellat contumeliam, dicendo, falso se de crimine adscripto notari. Hac enim ratione se onere leuabit, quo iniuriam facientem onerabit: & hoc non modo fieri potest, cum contumelia fit verbis, sed etiam quando fit factis, maxime cum est coniuncta verbis. Tunc enim pertinebit ad eum, qui facit iniuriam, per probationem ciuilem se non iniustè egisse probare, & vera esse, quæ dixit demonstrare; & interim læsus, qui negando repulit iniuriam, honorem possidebit suum. Cauendum est tamen ab eo crimine, in quod plerique incidunt, qui dum volunt reijcere iniuriam acceptam, accedunt ad inimicum, & hunc in modum illum alloquuntur. Si dixisti hoc, vel illud, mentiris. Debet enim expectari responsum, & postea si ille fatetur se dixisse, aut iterum dicit; dicat, falso dicis. Ineptius se gerunt illi, qui non modo mentionem, sed etiam percusionem adhibent; cum percusio neque mentitioné, neque

Admonitio quędā, quaquis potest honori consulere.

Negatio optimũ medium ad reiiciendam iniuriam.

Quorũdam error, in tuẽdo honore.

neque illatam iniuriam remoueat, sed sola negatio. Rursus aduertendum est, quando iniuria fit facto, duobus modis solet auferri: primo, si offendens dicat, se pessimè, aut iniquè egisse, quod materno sermone dicitur. Tristamente: altero modo, cum simpliciter narratur factum, qua narratione qui adsunt, intelligunt offendentem iniuriosè proximũ tractasse. Priorem modum omnes, qui de honore scripserunt, tanquam nimis asperum damnant: posteriorem verò approbant. Sat enim debet esse lęso, si ille ostendat se iniuriosè egisse, quod fit dum factum simpliciter narratur. Verumtamen est, quod si ex sola facti narratione non intelligerent ij, qui adsunt, offensum non laborare aliquo vitio, ob quod ille visus est percussisse, opus esset non solum narrare factum, sed etiam oporteret clarius verbis indicare, læsum nullo laborare vitio, quo dignus esset, qui verbo, aut verberibus male acciperetur. Tolluntur prætereà iniuriæ, præsertim leuiores dissimulatione, & obliuione ludendo, bibendo, ac familiariter vtendo, vt Iacobus Beluis. in practica Iudic. numero 85. docet. Quare iniquè faciunt ij, qui post iniuriam acceptam eodem modo cum offendente, ac prius se tractant, indicando se nullo odio esse suffusos, vt hac ratione facilius occasionem vlciscendi nanciscantur. Nunc venientes ad formulas, paucis verbis eas tradenus, quibus pro

Duobus modis iniuria, quæ fit facto tollitur.

Modus recõciliationis damnatus.

Greg. Zucc. de honore cap. 7.

Alius modus quo tolluntur iniuriæ.

Iacob. Belu. Quorũdam iniquitas.

ra-

ratione iniurię, & personarum, & locorum aliquid addi, aut minui poterit, pro vt prudens vir iudicauerit. Si iniuria fuit facti ex occasione data, lædens coram duobus, vel tribus viris probis poterit ita dicere. Doleo, quod ex quadam causa occasionem arripuerim lædendi te: & si sine causa egissem, omnino male egissem: imò non egissem. Læsus verò poterit fateri se aliquam causam præbuisse; aut certe si nihil vrgeat, ab his verbis abstineat: Vterque autem, quantum ratio postulat, se culpa leuet. Secundo si non ex data occasione, facta est iniuria, reuocetur ad eas causas supra enumeratas, quæ læuiorem reddunt offensam. Vt ecce. Ira excitatus, de me exiui, & ita calore irę iniuriam feci, & si sine hac perturbatione fecissem, pessime, imò non fecissem, ac proinde veniam peto. Eadem formula adhiberi poterit, si aliqua alia animi commotione concitatus fuit, vel etiam si ex ignorantia, vt quando personatũ, vel nocturno tempore læsit. Non te agnoui, si agnouissem, non læsissem. Si læsit, quia paruipendebat, dicat. Existimaui te esse imbellem; sed tamen, talem te esse iudico, qui paribus armis mecum depugnare possis; ac propterea errati veniam peto, paratus darę tibi quamcunq; satisfactionem, quam eques honestus iudicabit. Si non paribus armis iniuriam intulit, aut non pari conditione, apeę riat modum, quo intulit. Si autem verbis

Modi conciliandi.

Prima formula.

Secunda formula.

Alia formula.

facta

facta fuit. Si dixit verba, non animo auferendi honorem, poterit hac formula vti. Nunquam fuit mea intentio, iniuria afficiendi quempiam, & quod dixi, non hoc animo dixi, & quę dixi, si male dicta sunt, dixisse nolo. Et si fortasse, quod dictum est, ab alijs fuit acceptum; poterit addere ista verba. Ab alijs audiui, & ita existimabam, vt dixi, sed re cognita aliter sentio, & arbitror illos falsa dixisse. Similiter si ex aliqua animi perturbatione in verba prorupit contumeliosa, id exprimat, & addat: cum modo sim rationis cõpos, aliter dico: si te appellaui proditorem, nunc fidelem esse affirmo. Si autem iniuria facta fuit per mentitionem, & fuit super re dubia: poterit dicere. In re dubia deceptus sum, & ideo aliter nunc dico. Si autem mentitio fuit super re falsa. Potest interrogare is, qui mentitione se defendit, iniuriosum, qua mente dixerit talia verba; propter quæ dixit eum falsa dicere. Et ille fateatur veritatem aliquo modo ex dictis. Et qui mentitione vsus est dicat. Si res ita habet, non habui intentionem asseuerandi te falsa loqui. Si autem vera fuere, quæ obijciebantur qui mẽtitione vsus est, dicat. Vera sunt, quæ dixisti, nec debui dicere te falso loqui. Quando autẽ verũ crimen, sed occultũ obijcitur, quõ honor sit restituendus infra dicet. Illud aũt semper aduertendũ est, vt verba, q̃ in recõciliatione adhibenť, sint humanitatis, & officij plena.

Modi conciliandi cum iniuria fit verbis.

Alia formula.

Modi conciliationis, cũ intercessit mentitio.

Alia forma.

Alia formula.

Alia forma.

Hier. Vrrea.

Regulæ pro Pacificatore, offenso, & offendente ad pacem commodius faciendam. Cap. 36.

Plato.

SEMPER mihi illa Platonis sententia, quã in Theage sub principio scriptã reliquit, animaduersione digna visa est: qua aiebat. Nihil diuinius esse, quàm de sua aliorumque institutione cogitare. Cum igitur non ignorarem quàm difficile sit in hoc munere pacificatorio versari; licèt mihi non esset propositum de modo pacis honestè faciendæ particulatim disserere: tamen cum legendis auctoribus varias adnotauerim rationes, quæ possent instituere eos, qui hanc prouinciam suscipiunt, eisque non parum adiumenti in re valde difficili afferre, curaui ea quæ inter legendum decerpsi ad quasdam regulas reuocare, quarum aliæ pacificatorem, aliæ offensum, alię offendentem informabunt. Pro pacificante ergo sit prima regula. Cum aliqua pax facienda proponitur, aduertat in primis diligẽter, an vera intercesserit iniuria, & quãta. Etenim potest sæpe contingere, vt nulla sit iniuria, aut certè parua, vbi esse putatur. Solent enim homines, cum aliquid incommodi ab alio acceperint, ob animi perturbationem non rectè iudicare, & sibi factam putant esse iniuriam, cum nulla certe sit facta.. Ad hoc faciendum expediet, bene intelligere q̃d sit iniuria, q̃ eius conditiones, de quibus nos supra disseruimus. Vtile etiam erit, noscere per-

Prima regula pro pacificatoribus.

Ant. Bern. l. sec. 3. cap. 2. 3.

personas,quæ prouocari soleant, aut non so leant ad arma. Secunda regula. Si aliquid in facto, aut dicto latebit, quod grauiorem reddere posit iniuriam,si illud ab ijs qui dissentiunt non percipitur; caueat prudens pacificator, qui controuersiam facile dirimere cupit,illud aperire; vt interdum imprudenter à quibusdam fieri consueuit. Ita tamen se gerat,ne quid gratia iam cōciliata eluceat, vnde disidentes cognoscere posint, sibi de honore arte pacificatoris contra æquitatem esse detractum. Tertia regula. Ea,quæ grauiora sunt, non sunt à principio tangenda, sed à longe negocium est inchoādum, & quasi per insinuationem exordiendum. Quarta & admodum necessaria regula. Qui in hac re laudabiliter se tractare volunt,maiori qua fieri potest dexteritate,& prudentia, conentur è mentibus hominum errores reuellere, qui in hoc rerum genere maxime apud ignorantes, & ineptos equites reperiuntur. Vt ecce. Quod semel dictum,aut factum, honeste,seu turpiter fuerit,illud semper esse defendendum, & mordicus retinendum. Sed quis est tam inops mentis, qui ad honestum, & fortem equitem,quod semel inique gesit, defendere pertinere somnietur. Huic è regione pugnans, est alius error dicentium. Si percusisti,in danda satisfactione,dic,quid quid inimicus voluerit. Est etiam error perniciosus existimare omnem percusionē esse

Mut.l. 3.c. 6
Secunda regula.
Mut.l. 4.resp. 2.
Tertia reg.
Quarta reg.
Mutius l. 4. resp. 2. l. 3. cap. 17.
Errores varii in materia de honore.
Bened.Varc.
Alius error.
Anton. Ber.

Mutius Arist. 1. rhe. iniurioſam, cum multa ad iniurioſam percuſſionem requirantur. Aliàs dicas Epiſcopum dum eos quos ſacro chriſmate inungit, manu percutit, iniuria afficere. Adde errorem illum grauiſsimum, non poſſe verbis iniuriæ verberibus factę ſatis fieri, quod falſiſsimum eſſe ſuperius demonſtrauimus. Eſt etiam error non ferendus, quem permulti ſequuntur, dedecere fortem virum adire magiſtratum, vt pro illata iniuria ſibi ſatisfiat. Quod falſum eſſe egregie Suſius demonſtrauit: & vt quod ſentio dicam, contraria ſententia mihi videtur omnino ſtulta, & homine docto, ne dicam Chriſtiano indigna. Itaq; hos, & alios ſimiles errores extirpare pacificator nitatur. Quinta regula. Cum ad reconciliationem venitur curandum eſt; vt quantum fieri poteſt conſeruetur diſsidẽtium honor. In hoc enim poſita eſt tota difficultas huius negotij. Sed ſi de alicuius honore minuendum eſt, certe de honore offendentis, cuius famam etiam diligenter quãtum res patitur, conſeruare oportet. Illæ enim ſunt diuturniores reconciliationes, in quibus magis diſſidentium conſeruatur exiſtimatio. Sexta regula: diligenter conſideret, hæc longe inter ſe diſtare. Aliquem lædere, iniuriam facere, & lædendo onus quoddam purgandi ſui imponere. Nam pater lædit filium, præceptor diſcipulum, & Imperator militem, quẽ corrigit, & nemo iſtorum iniuriam facit, licèt

Margin notes: Alius error. — Cap. 33. — Alius error. — Io. Bap. Suſ. — Quinta reg. — Poſſeu. Mutius. — Reconciliatio diurna quæ. — Sexta regula — Anton. Poſ.

cet officiant. At iniuria tunc fit, cum quis contemnens præter ius, ex animo offendit. Tunc autem cum iniuria intercedit onus, cũ quis ita læditur iniuste, vt iacturam famæ sit facturus, nisi ostendat se esse eum, cui iniuria non sit facienda. Et in his duobus casibus opus est pace, & reconciliatione; & maior prudentia in posteriori, quàm in secũdo est adhibenda. Hinc fit, vt si duo paribus conditionibus ad arma venissent, etiam si alter grauiora vulnera excepisset, posset, saluo honore, se inimico conciliare. Demum attẽdat diligenter naturam & circunstantias iniuriæ: curetque vt verbis lenibus, & suauibus pacificatio fiat. Pro offenso autem breuiter has regulas adnotare placuit. Primùm intelligat hominis naturam propensam esse ad peccandum, atque difficile esse sibi ipsi, maxime in calore iræ imperare, & ab omni errore abstinere. Nanque.

Quando fiat iniuria.

Iniuria onerosa.

Pace quãdo opus sit.

Septima regula.

Prima regula pro offenso.

Gens humana ruit per vetitum nefas.

Horatius l. 1 od. 3.

Hinc fiet, vt facile inimico ignoscat, si conditionem considerabit humanam. Cogitemus inquit Seneca, sapientissimos quoque viros multa deliquisse, neminem esse tam circunspectum, cuius non diligentia aliquando sibi ipsi excidat. Ad id autem facilius allicietur si sentiet, se quoque velle experiri in se, lenẽ, & facilem, quem ipse offendisset. Secunda regula. Illud exploratum habeat, esse illiberalis ac minuti animi, velle omnia ad tenue

Seneca.

Homines omnes errare solent.

Secũda reg.

 limare,

limare,& minutatim singulos punctulos honoris perpendere. Quę res non modo odiosa est, sed etiam non raro reditus in gratiam impedit. Quare sicuti in vitio est, qui auarè,& sordide quosque numulos sectatur: ita qui singulas honoris particulas sibi restitui, quod ab officio magnanimi quàm longissime abest, affectat. Tertia regula. Noscat prudentis equitis esse, si quę olim ab inimico beneficia accepit, illa potius, quàm iniuriam illatam sibi spectanda esse. Neque enim beneficia,& maxime cum plura,& maiora sunt, quæ ex animo & libere largiuntur, vna, vel altera iniuria, ex animi impotentia, vel ex alia leui causa facta, abolere debet. Cum sit omnino absurdum vt leuis offensio, beneficiorũ memoriam funditus exhauriat. Potius ergo accepta beneficia amorem, gratiamque concilient, quàm iniuria illa obliuione deleat.

Tertia reg.
Arist. 1. rhe. cap.

Quarta regula. Meminerit præterea quam longe inferior, & deterior sit eius conditio, qui iniuriosè se gessit: & quod peius est iniuriam facere, quàm accipere. Nam qui fecit, magis sibi ipsi nocuit: maiorem contraxit infamiam. Quo fit, vt semper offendens ignobilior sit, quàm qui læsus fuit. Hoc quod verissimum est cum aduerterit, perspiciet, inimicitias deponere haud difficile esse.

Quarta reg.
Ioan. Franc. Picus.

Quinta regula. Sentiat nolle erranti, & veniam petenti ignoscere, esse agrestis, & crudelis animi, vt suo latè demonstrabitur loco.

Quinta reg.

Et cum ſe hominem eſſe intelligat, nihil humani à ſe alienum habeat. Hinc Plautus in Moſtell. Anton. Bec. Terent. Plautus.

Miſericordiam tandẽ habere hominẽ oportet.

Sexta regula. Si recte ſapere vult, eam pacificationem, & ſatisfactionem quærat, quam viri prudentes conuenientem eſſe exiſtimabunt; nec ſtultæ multitudinis ineptias ſequatur; cum pluris faciendum ſit vnius hominis iudicium, quàm mille ſtultorum hominum. Sexta reg. Mutius Varchius.

Et vt quod ſentio hoc loco dicam, nullo meliori, & honoratiori modo pacem fieri poſſe exiſtimo, quàm ſi quis Chriſtiana caritate incenſus, propter Chriſtum, omnem petenti ſatisfactionem, vbi nullum eſt impedimentum, remitteret. Conſilium optimum.

Tandem quicunq; offenſus eſt, hæc ſapientiſsimi viri verba diligenter attendat. Puerum ætas excuſet: feminam ſexus: extraneum libertas: domeſticum familiaritas. Nunc primum offendit, cogitemus quã diu placuerit. Sæpe, & aliàs offendit, feramus quod diu tulimus. Amicus eſt, fecit quod noluit. Inimicus eſt, fecit quod debuit. Vltima reg. Seneca l. de ira. c. 24.

Quod ſi dicas: graue eſt iniuriam ſuſtinere. Reſpondet Seneca: Mentiris. Iniuria ferri poteſt. Notandum.

Pro offendente verò has regulas breuiter trado.

Prima regula; aduertat diligenter, quanto bono proximum priuauerit, & quanto malo affecerit, cum iniuriam intulit; & quanti fieri ſoleat ab hominibus honor. Prima reg. pro offendente.

Secunda regula. Videat quantum vellet, ſibi ſatisfieri, Secũda reg.

si ipse læsus esset: & propterea velle satisface re pro illata iniuria laudabile esse existimet, quod sequenti capite melius demonstrabitur. Nec turpe, imò gloriosum esse putet, veniam de perpetrato crimine resipiscendo petere. Optimum ait Theoctistes, quidem fuerit, non delinquere: sed etiam postquam quis peccato succubuit, statim resipiscere, generositatis indicium est. Quod si dicas; res ardua est, culpam fateri suam: ita sane est: sed, vt idem auctor scripsit χαλεπὰ τὰ καλά: hoc est: difficilia, pulchra. Tertia regula. Aduertat, se semper infamem esse, dum pro honore sublato non satisfacit: & hanc esse vnicam viam ad recuperandum honorem, honorem alteri restituere. Alia quæ afferri huc possent, ex capite sequenti cognoscere licebit; in quo quasdam regulas cuique forti, & prudenti equiti, ad honeste, & fortiter viuendum apprimè necessarias adscribemus.

Theoctistes

Pulchra difficilia.

Tertia reg.

Regulæ pro equitibus ad honeste, & fortiter viuendum necessariæ. *Cap.* 37.

BONVM illud, quod naturali propensione homines affectant, vel ob ignorantiã, qua quid vere bonum sit nescitur, vel ob animi perturbationes, quibus in contrarium feruntur, sæpenumero non assequuntur. Hinc Medea apud Nasonem.

Ouid. *Video meliora, probaque.*

Dete-

Deteriora ſequor.

Quam ob rem & inſcitia, & animi impotentia, duas potiſsimæ, vt in omni vitæ actione, ita in hac, in qua nunc verſamur, ſunt erroris cauſæ. Et vt de prima, alteram in alium locum reijcientes aliquid dicamus; duæ ſunt præcipuè, quę homini vitio dari ignorantiæ poſſunt: quarum prima eſt illa, qua benè, beateq; viuendi formulæ ignorantur: altera verò, qua quis in ea, quam profitetur, arte turpiter offendit; qua duplici inſcientia equites noſtrates, quod cum pace bonorum dixerim, laborant. Videres.n. equites quoſdam ita ab honeſto, & fortitudine aberrare, & boni equitis munera ignorare, vt perpetua infamiæ nota potius inurendi, quàm vllo, vel minimo honore afficiendi ſint. Regulis igitur quibusdam ad honeſtatem retinendam, & militarem artē pro dignitate exercendā, milites & equites informandos eſſe cenſuimus. Prima regula; intelligat fortis, ac prudens miles, ſe vnà cum cæteris hominibus natum eſſe ad felicitatem conſequendam: quia vt quidam recens poeta & ſanctitate vitę, & doctrinæ varietate conſpicuus ſcripſit.

Ignorantia quę vitio dari homini poſsit.

Prima reg.

Nemo eſt, qui fieri cupiat aliquando beatus,
Huc tendunt artes, ſtudiorū hùc reſpicit ordo.

Frat. Nicol. Alex. Perus.

Ac propterea ſe debere pietatem, & religionem, qua ad felicitatem itur, colere: Homo enim ſine religione bellua quædā, ac brutum

Religio' homini neceſſaria.

animal eſt. Religioſum autem hoc loco cum Macrobio appello eum, qui facienda, & vitãda diſcernat: eum præterea, qui Deũ timeat, qui nihil contra diuinas, & ſanctas leges dicere, aut facere impudenter audeat. Talem nobis Poeta depinxit Æneam, virum fortem, & pium. Et apud veteres ijdem erant ſummi ſacerdotes, & Reges, vt Ciriacus Strotia lib. 1. politico, & franciſcus Philelphus ſcripſerunt. Et certe verus honor, vt piè ſcripſit Vrrea, eſt timere Deum, quẽ qui non timet, infamis eſt. Quo fit, vt prudenter rerumpub. inſtitutores, primas partes in rep. religioni tribuerint, ad quam tuendam & retinẽdam vires, & arma à forti, & cordato milite conuertenda ſunt. Denique militia ſine religione conſiſtere nequit, idq́ue antiquos exiſtimaſſe Romanos, ex ſumma religione, qua in ſuſcipiendis, tractandisq́ue bellis vtebantur, conſtat. Et Imperatores religioſi maximas victorias de hoſtibus ſæpe retulerunt, vt de Dauid, Sampſone, Conſtantino, Theodoſio, Carolo magno ex varijs hiſtorijs diſcitur. Et regna ob religionis defectum ſæpe ceciderunt. Nihil ergo vnquam audendum eſt à bono milite, quod vllam in partem religionem minuat, aut labefactet. Secunda regula. Nihil vnquam dicat, aut faciat, quod honeſto aduerſetur: & ſi ſecus fecerit, noſcat ſe non eſſe fortem, cum nulla cum honeſto virtus pugnet, & ſingulæ ſingulis, de cõ-

muni

Macrobios. Franciſcus. Zepherinus orat. de religion. Vergilius. Ciriac' ſtrotia. Philelphus. Vrrea par. 3. Platina lib. 1. de optimo ciue. Claudius ſecellius. l. 1. de rep. Vrrea Franc. Sanſ. lib. 4. Tripart. Secũda reg. Mutius l. 5. c 17. lib. 4. reſ. reſp. 6.

muni Philoſophorum ſententia, ſint virtutes connexæ. Neq; quidquam poteſt reip. per Ariſt. 1. Pol. cap. niciofius accidere, quàm ſi ciues habuerit ſine ratione audaces, & imprudenter armatos. Tertia regula. Tertia reg. Debet ſpeciatim, quantum in ſe eſt, nihil contra iuſtitiam agere; imò omnes ſuarum virium neruos pro iuſtitia retinenda intendere. Et illud Epicteti Epictetus dictum, verum eſſe intelligat. Nullum eſſe fortitudinis vſum ſine iuſtitia. S. Maxim. in serm. Iuſtitia enim & fortitudine tãquam duobus præcipuis præſidijs res omnis continetur, ac fulcitur publica. Aduertat diligenter, quod vir bellicis artibus illuſtris Godufredus Buglionius Godufred'. aiebat: artem equeſtrem ob has quatuor cauſas eſſe inſtitutam: Ars equeſtris cur inuentã; vt religionem, patriam, principem, pupillos, & miſeros defendamus. Hinc eſt, infames eſſe eos duces, & Imperatores, qui eorum, qui ſub ſe merẽt, ſtipendia iniurioſè retinent. Legẽdus eſt Ferrandus Diacon' in pedagogo Ducis Chriſtiani cõtra auaritiã ducum. Daretur hic locus exclamandi contra Chriſtianos duces, qui ſordidè, & auarè ſe gerentes pauperum militum ſibi mercedem applicant, cũ potius de ſuo, vt mos fuit apud antiquos equites, milites ad egregia facinora ſpe præmij allicere deberent. Sed lectorem ad auctorem in margine citatum remitto. Quarta regula. Quarta reg. Fortitudinem, quam ei natura dedit, & ſuo labore acquiſiuit, contra veros hoſtes reip. experiri more veterum militum velit: non vt multi inepti faciunt, ſinguli horis, contra ſingulos;

los, quacunque data, aut longe petita occasione, quasi gladiatores quidam, & pacis publicæ euersores. Certet igitur cum communi hoste, atque ita se longè inimicum si quem habet fortitudine antecellere declaret, vt optimè manet Hier. Vrrea. Attendant viri fortes, & honorati, Regis inuicti, & fortissimi Alexandri scilicet Magni sententiam. Robur mente carens in quoscunque inciderit, eos sepulchro tradit. Illud omnino caueat, ne in imbelles, vires exerceat suas: tùm quod turpissimum est: tum etiam quia quandoque ij, quos minus obesse posse existimamus, nocere solent; quod per fabulam aquilę & scarabei Æsopus eleganter indicauit. Et Ouidius l. 2. rem. amo.

Hier. Vrrea. part. 1.

S. Maxim. S. 4. qui est de fortitudine.

Aesopus. Ouid.

Parua necat morsu spatiosum vipera taurum,
A cane non magno sæpe tenetur aper.

Caueat igitur iactantiam, qua sæpe homines ad nocendum alijs excitantur. Agnoscat se hominem esse, nec lutulentum iactet genus, sed morum integritate glorietur. Quinta regula. Si quam habet cum aliquo quærelam, eam æquitate, non vi abolere conetur. Sciat se esse partem reip. & administrantibus remp. subiectum, & ab eis restitutionem honoris reposcat. Et in omni vita pacem, cuius acquirendæ, & retinendæ gratia arma gestat, propositam habeat. Quare liceat ei, imò ab eo hoc requiro, vt honorem, & famam tueatur suam: ita tamen vt iustitiam, quam

Agapetus in admonit. ad Iust. 4.

ex officio tueri debet,non lædat. Vnde nunquam existimet, quidquid dicant qui pro duello sine ratione depugnāt,famam,vel honorem,si forte his bonis iniustè priuatus est, in sigulari certamine sibi recuperare licere. Quam ob rem non vituperet eos,qui singularem pugnam abhorrentes, alia iusta ratione honorem sibi restitui curant. Sexta regula. Omnem diligentiam,studiumque in hoc ponat,vt vnquam existimet sibi iniuriam esse factam,quando reuera nulla est; sed semper facta, & dicta quantum potest ita accipiat, vt suo honori consulat, & ad se inimicitias non adsciscat, vt plerique stultè faciunt; non secus ac illi, qui sibi vulnera infligerent; & seipsos lacerarent. Sic enim à multis tricis se explicabit,honorem seruabit,ac prudens existimabitur. Septima regula. Non ignoret, vt magnanimi est, supplicanti ignoscere, ita minime ignominiosum esse, si quid offenderit,errati veniam petere. Ita docent omnes, qui de honore cum ratione aliquid memorię prodiderunt. De qua re latius à nobis infra disputabitur. Octaua regula. Existimet, nullo modo esse contra equestrem dignitatē debitas ei, quem læserit,satisfactiones præbere. Nam cum sit operatio iustitiæ,quæ præstantissima virtus est,quam vt supra diximus, tueri honesti militis est; nullo modo vituperari debet, qui eam prudenter exercet, sed potius damnandi sunt, & tanquam inhonorati

Duellum damnatur.

Io. Bap.Suf.

Sexta regul.

Septima regula.

Posseu. Ant. Bern.

Octaua reg.

rati

rati reijciendi, qui iniuste agentes alterius honorem restituere nolunt. Nona regula. Noscat esse prorsus inepti, & insulsi hominis, nolle propositam satisfactionem acceptare, ea scilicet de causa, vt possit pœnam pro libidine sua de inimico sumere. Etenim effeminati & languidi animi, velle honori suo per pœnas satisfactum iri, vt omnes, qui de duello scribunt, fatentur. Decima regula. Non arbitretur vllo pacto sibi licere contra eum, à quo læsus est, insidijs vti, etiam si ille insidijs lacessiuerit. Est enim omnino ab equestri arte alienum velle per insidias honorem recuperare: ac propterea nunquam mẽtiri debet. Hęc, q̃ subijciam, ne quis inde occasionẽ errandi sumat, à fortibus viris dicũtur.

Nona reg.

Decima regula.

Ant. Posseu.

Mutius. Sus.

Duobus, an virtus, quis in hoste requirat?

&

Fallere fallentem, suspicor esse pium.

Vndecima regula. Aduertant honorati equites eorum vitam debere esse, veluti regulam viuendi alijs, cum ipsi primas partes in rep. agant. Propterea sint exemplum iustitiæ honestatis, religionis, humanitatis; quæ virtutes maxime equitem decent: & quantum possunt, non minus alienum quàm proprium tueantur honorem. Illud autem pro comperto habeant, eum honoris curam negligere, qui animæ curam despicit. Duodecima regula. Cum experientia doceat, equestrẽ, & militarem artem esse bene corruptas, ac

Vndecima regula.

Duodecima regula.

iace-

iacere; dent operam, vt eas restituant, & ab erroribus purgent; cum nulla sit fortasse ars, quæ magis emendatione egeat. Proderit ad id faciendum legere libros, qui his de rebus tractant, vt quę scripsit Vegetius, Iulius Frõtinus maxime libro quarto, quæ Pontanus lib. de fortitudine, Franciscus Sansouinus libro quarto, Petrus Chrinitus, Fernandus, Carthusianus de statu militum. Nos autem hoc loco non habuimus id propositum, vt vellemus omnia scribere, quę ad informandũ bonum equitem pertinent; quia multo plura, & alio ordine attulissemus, sed solum adnotauimus has regulas, quas inter legendum excerpsimus, quod cognitu dignæ visæ sint, & ad id quod tractamus accommodatæ, & vtiles. Nec quis existimet, huiusmodi regulas à me traditas esse tanquam à Theologo, cum eas ex his, qui de duello, & honore scribunt, collegerim, sintque rationi, & arti militari omnino conformes, & ad eam recte exercendam omnino necessariæ, contra quas si quis eques errauerit, intelligat se in arte sua errare, ac propterea inhonoratum esse. Cęterum, cum late de modo faciendæ pacis disputauerimus, & paces rarò sine pacificatore fiant; iam de his, ad quos pertinet pacificare, & qui esse debeant, disputemus aliqua.

Vegetius
Iuli. Front.
Pontanus
Franc. Sans.
Petr. Chrin.
Ferrandus.
Carthusien.

Admonitio

Officium

Officium pacificandi quorum sit, & qualis pacifi-tor esse debeat. Cap. 38.

NIHIL esse præclarum, quod non idem arduum in tertia tusculana, non longe ab extremo, sapienter affirmauit Cicero. Quamobrem cum hoc pacificatorium munus pręclarissimum existat, cum beati à Christo domino dicantur, pacifici, hoc est, vt non nulli exponunt, pacificatores, arduum etiam sit necesse est. Ea propter non temere cuiq; committendum esse arbitror; cum nec vitæ integritas, neq; rerum vsus, neq; prudentia, quę ad hoc officium pro dignitate exercendum sunt necessaria, in quouis homine reperiantur. Rem ergo non inutilem, nec ab instituto alienã facturos esse arbitramur, si cui potissimum hæc prouincia demandanda sit, vel ad quem spectet breui docuerimus. Arbitramur itaq; in primis ad Episcopum loci illius, in quo discordia viget hoc officium pertinere. Et licèt hoc nostrũ dictum sit satis manifestum: tamen ipsum probare non grauabor, vt Episcopi suas melius agnoscentes partes, in hanc rem nauent diligentem operam, Hoc quod nunc docemus, non obscure videtur indicare Paulus, cum inter alias boni episcopi partes requirit, vt sit bene præpositus domui suæ, & filios subditos habeat, idest, eos in obedientia, & obseruantia contineat. Et Seruator noster

Cicero.

Gregorius Nyssen.

Pacificatoris officium ad episcopũ pertinet.

Paulus ad Timot. 2.

noluit

voluit primò pacem nunciari pastoribus, vt indicaret, ad eos pertinere aliis pacem nunciare: Et apostolis, præceptum de pace cuiq; loco danda, tradidit. Huc facit constitutio quædam Concilij Carthaginensis quarti. d. 90. can. studendum. Studendum est Episcopis, vt dissidentes fratres, siue clericos, siue laicos ad pacem magis, quàm ad iudicium coërceant. Et can. Dissidentes, & Innocentius 2. can. Præcipimus eadem d. Alexander 3. cap. 1. de triegua, & pace. Clemens Romanus ep. 1. & 2. ad Iacobum fratrem. Idē docent ipsi doctores Glossa can. Præcipimus. Turrecremata can. discordantes eadem d. tripliciter probat, & citat Lyranum. Quod de episcopis diximus, idem de alijs prælatis, & animarum curatoribus intelligendū est. Suscipiant itaque montes pacem populo. Neque debent in hac re esse negligentes, cum ex dissensionibus, magna animæ fideliū detrimenta capiant. Nec suo se satis officio fecisse putent, si frigide rem, quæ eget multa contentione, tractauerint. Videant quæso pastores, optimi pastoris studium erga perditam ouem, apud Concilium Aquisgranense, vbi talis dialogimus habetur. Ouis. Quid me vis? quid me quæris? Pastor. Quia in errore es reuocare volo; quia perijsti, inuenire volo. Ouis. Sic volo errare, sic volo perire. Pastor. Sic vis errare? sic vis perire? quanto magis ego nolo. Prorsus audeo di-

Pastores nūciare debēt pacem.

Matth. 10.

Cōc. Cart. 4.

Innoc. 2.
Alex. 3.

Clem. Ro.
Ioan. Paul.
Lancel. l. 1. inst. de vita & hon. plat.
Turrecrem.
Lyran.
Matth. 10.

Psal. 71.

Aquisgr. conc. c. 12.
Dialogismus Ouis, & pastoris.

cere, importunus sum. Audio dicentem Apostolum. Prædica verbum, insta opportune volentibus, importune nolentibus. Tu vis errare? tu vis perire? ego nolo. Reuocabo errantem: requiram perditam: velis nolis, id agam. Et si me inquirentem lanient vepres syluarum, per omnia angusta me coarctabo: omnes sepes excutiam: quantum virium mihi terrens dominus donat, omnia peragrabo. Reuocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire. Berengotius Abbas. Omnipotenti Deo nullum sacrificium tàm gratũ est, & tàm carum, quemadmodum est zelus animarum. Qui errantes proximos corrigunt, & in ipsa correctione spiritualem zelũ temperare sciunt, Deo sacrificium, & holocaustum fiunt. Legendus est D. Oresiesis, qui eleganter demonstrat, quanta cura debent vti pastores animarum. Singulare exemplum huius muneris Vbaldus Eugubinæ vrbis episcopus præbuit, qui cum non potuisset verbis ciues suos conciliare, cũ ad arma venissent, inermis inter strictos mucrones irruens, humi se prostrauit, nec exurrexit, donec odia deposuerint. Idem Cæsarem Eugubinis infensum suppliciter placauit. Pertinet præterea hoc munus ad principes, & reip. moderatores. Ita demonstrant hæ leges l. 1. cap. Quando Imperator. Et clarius l. congruit ff. de officio præsidis. Idem

2. Tim. 4.

Berengoti'.

Zelus animarum sacrificium gratũ Deo.

Oresiesis l. de instit. monach.

Marcus Marul. l. 3. c. 6.

Singulare exemplum. S. Vbaldi.

Ad principes pertinet munus pacificatorum.

Panormit.

con-

confirmat auctoritas scribentium. Abbas in proem. decret. ver. Rex pacificus. Antonius Corsectus tract. de priuilegijs pacis, Lancellottus Conradus lib. 1. cap. 1. §. 4. ver. 10. de Imperatore. Et ea ratio maxime eos commouere deberet, quòd pax solet omnium rerum copiam in remp. importare. Propterea antiqui finxerũt pacem fuisse Plutonis Dei diuitiarum nutricem. Et Alciatus Emblemate de pace.

Ant. Corset.
Lancellott.
Turecrem. loco cit.
Natales l. 2. cap. 9.
Alciatus

Lætus erit Cereri, Baccho quoq; fertilis annus,
Aequorei si rex alitis instar erit.

Halcynois.

Præter has personas quilibet Christianus deberet quantum potest, in hac re se exercere, & præsertim ij, qui ad hoc fuerint à republica constituti, vt in quibusdam ciuitatibus fieri consueuit. Nam cuique mandauit Deus de proximo suo; & sumus inuicem membra, & vnius corporis partes; ac propterea quilibet deberet dissidentia membra conciliare. Et vtinam reperirentur in rep. Christiana homines, qui Cratem imitarentur, de quo Gregorius presbiter in vita Gregorij Nazianzeni refert, solitũ fuisse ingredi domos dissidentium, ac sermonibus pacificis lites dirimere. Neq; fortasse inutile esset; si in quauis ciuitate, aliqua constitueret publica psona, ad quã cõfugerent ciues, & equites, cũ de honore, & fama sublatis, & restituendis lis esset exorta. Illi aũt, qui huic officio præficiẽdi essent, huiusmodi, & alias similes partes habere deberent.

Quilibet Christianus pacificare debet.
Crates.
Gregorius presbiter.
Admonitio notanda.
Quæ conditiones debent esse in pacificatore

Prima con-
ditio.

rent. Primò eo vitio non laborent, quod in alijs corrigere volunt: & ita pacificatores cum omnibus concordes esse deberent: ne eis dicatur. Medice cura te ipsum: ne illud tragicum in eos cadat.

ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Aliorum medicus, ipse vulneribus scatens.

Greg. Nyss.

Pacificus est, ait Gregorius Nyssenus, qui pacem dat: quam non dat, qui non habet. Vult ergo te esse plenum pacis, tum alijs prębere. Quare si fieri posset, eiusmodi esse deberet pacificator, qui nunquam cum aliquo palàm inimicitias exercuisset: ita vt verbo, & exemplo doceret. Est enim tritum prouerbium, magis mouere exempla, quàm verba. Præterea, debet esse vir religiosus, & pius, cuius vita conspicua sit, saltem opinione, apud omnes. Nam morata oratio, vt Aristoteles scripsit, maximam vim habet ad faciendam fidem. Non enim poterit satis commode ad actionem difficilem, & arduam dissidentes fratres traducere, nisi ipse is sit, qui non modo cognoscat, sed etiam in se sentiat, quàm magnificum, quamque præclarum sit, cum pace, & consensione viuere, quàmque perniciosum in odio hominum, & Dei esse, & quã gloriosum iniurias condonare. Deinde vir esse debet, qui gratia, & auctoritate valeat, cuiusmodi erit, si ætate prouectus, si genere nobili natus, si rebus gestis clarus, & beneficentia, & officijs conspicuus erit: aut

Columel. l. 11. cap. 1.

Secunda cõ
ditio.

Arist. 1. rhe.

Tertia con-
ditione.

Io. Bap. Pig.

aliàs

alias ipse inimicis suis facilè pepercerit. Ad hæc dexteritate, lenitate, facilitate, quæ virtutes ad animos exuulceratos læniendos apprimè sunt necessariæ, ornatus sit. Quare non debet vlla ratione, aut minis, aut iniuriosa contẽtione, quod interdum euenire solet, quempiam ad reconciliationem prouocare. Item habeat aliquam experientiam, & vsum actionum humanarum, & maxime earũ, quæ pertinent ad hanc materiã, quam tractat: nec non etiam cognitionem aliquam naturæ iniuriæ, honoris, fortitudinis, iustitiæ, & philosophiæ moralis: aut saltem sit aliquantulum versatus in lectione librorum, qui de honore, & de iniurijs, & satisfactionibus dandis disputant: vt sciat, qui honores, quę reuerentia cuique debeatur, & quæ sint conditiones necessariæ ad conficiendam iniuriam. Iam verò non ignoret oportet, quid rationi, & religioni consentaneum sit, ne quid agat, aut suadeat, quod rationem, & religionem euertat: & ideo expediet noscere abusus, & errores, qui in hac re reperiuntur. Habeat etiam cognitas, pœnitusque perspectas excusationes, & rationes, quibus solent se tueri, & refugia ad quæ solent se recipere, qui nolunt ad reconciliationem traduci, vt posit illas retundere, ac victoriam sumptæ referre prouinciæ. Denique non erit inutile habere præ manibus libros quosdam, qui de amicitia, & concordia, eorumq; contrarijs disputant,

Quarta conditio.

Admonitio

Quinta conditio.

Chassanæus legend.

Sexta conditio.

Septima cõditio.

Octaua conditio.

tant, vt inde rationes sumere valeat, quibus amicitiam, & concordiam suadeat. Inter alios legendus est Simon de Cassia libro de iustitia Christiana cap. 4. 5. & 6. legi etiam poterunt quæ nos in tertia parte afferemus, & quæ supra cap. 35. 36. diximus. Si quis autem videre velit Pacificatorem hierosolyphice depictum, legat Cęlium Augustinum in additionibus ad Pierium. Episcopi itaque, & alij animarum curatores, ac reip. moderatores, si odio vacabunt, si pij, si gratiosi, si prudentes, si rerum non ignari fuerint, poterunt in hoc munere pacificatorio non infeliciter se gerere. Sed quoniam sæpe contingit, vel ob imprudentiam, vel quia res ipsa monet, vt aliqui maiori contentione, & quasi per vim ad reconciliationem prouocari debeant, vbi de personis, ad quas hoc munus pertinet diximus, videamus oportet, an maiores possint aliqua ratione cogere inferiores ad pacem faciendam.

Simon de Cassia. Lodouicus lib. de. cõc.

Cęlius Aug.

An dissidentes ad pacem faciendam possint cogi. Cap. 39.

Plato. Cic.

Tanta est honesti pulchritudo, vt si diligenter mentis aciem in eam mortales converterent, mirabiles sui amores in eis excitaret, atq; adeo vt nunquã opus esset, quod tamen sæpe contingit, homines ad honestum amplectendum timore pęnæ cõstringere, sed

ipsi ex se se illud adamarent, ac in sinu summa cum voluptate fouerent. Et quamuis honestissima res sit, fratrem æque ac se ipsum amare; & tanta sit honesti vis, vt omnem vtilitatis speciem obscuret: tamen cæcutientes in hac rerũ caligine hominum oculi, cũ huius amoris splendorem, & honestatem intueri nequeant, sola vtilitatis specie commouentur, eaq; omnia metiuntur. Ex quo illud nascitur, vt interdum ij, qui ob iniuriam distracti sunt, ad pristinam concordiam, solũ timore aliquo, traduci queant. Verùm qua ratione, & à quo id fieri possit, inter scribentes non constat. Extant enim circa hanc cõtrouersiam, de qua Corsectus, Vulpellius, Conradus, & alii disputant, diuersæ doctorum sententiæ. Aliqui simpliciter loquuntur, & aiunt, principem posse cogere subditos dissidentes ad concordiam conciliandam. Ita Bart. l. congruit nu. 4. ff. de officio præsidis, & hoc probat ex ista lege, & l. quidam ff. Si certum petatur. Inter canonistas, à quibus hac de re scribitur in rub. de triegua, & pace, Abbas hoc loco, & quidam alij eandem amplectuntur opinionem. Alij, inter quos est Felinus in dicta rub. dicunt, iudicem regulariter id non posse efficere: afferunt tamen varias limitationes, quas legere apud Felinum poteris. Alij distinguunt de principe, qui non recognoscit superiorẽ, cui concedunt, in quacunq; causa ciuili, & crimi-

Homines sola vtilitate mouentur.

Ant. Corsect. Oct. Vulpel. Conrad.

Bartol.

Panor.

Felinus.

Secunda sententia.

Tertia sententia.

criminali, discrepantes ad concordissimè viuendum cogere posse: alijs verò iudicibus inferioribus hoc non permittunt. Alij vniuersè loquentes, asserunt, principem non posse se suaq; natura, sed ex obliquo ad pacem cogere. Hoc sentit Bal. lege Quia. §. quies ff. de officio præsidis. Mars. Cons. 98. Clarus, & alij, quos citat Octauianus Vulpelius quæstione 3. tract. de pace, & asserit communem esse sententiam. Nos vna præmissa distinctione, multa quæ circa præsentem controuersiam afferri possent, silentio inuoluentes, breuiter quod vero similius videtur, statuemus. Duobus modis potest quis ad aliquid faciendum cogi: altero modo directe, & ex se: altero verò oblique & ex accidenti, Hac posita distinctione has conclusiones pono. Prima conc. ex se, suaq; natura nemo cogi potest ad reconciliationẽ faciendam à quouis superiori. Nam implicare videtur, pacem coacte fieri, cum pax à caritate proficisci debeat, à qua nequit sine libertate prodire. Hanc conclusionem confirmant canones quidã can. Vides 23. q. 6. ex Augustino ep. 48. ad Vincentium, vbi disputans, an aliquis cogi ad bonum possit, ait, non posse quempiam inuitum esse bonũ. Et Can. Noli existimare. Ep. ad Bonifaciũ. Pacem habere voluntatis est. Et can. Nisi in postremis verbis ex D. Gregorio: Præcepta præparatione cordis sunt retinenda.

Quarta sententia.
Baldus
Marsil.
Clarus
Octau.
Prima conc.
Prima ratio
Secunda rõ.
Augustin.
23. q. 1.
D. Greg.

Secunda conclusio. Reip. moderatores, & alij, qui aliorum curam gerunt, possunt discrepantes fratres indirecte ad reconciliationem impellere. Hæc conclusio, quæ communiter est recepta, vt ait Octauianus, sic declaratur. Posset princeps eos, qui in ciuitate inimicitias exercent, & remp. perturbant pœnis afficere, quarum timore perculsi, & excitati, ad gratiam conciliandam se se conuerterent. Legendus est Ioãnes Lupus tract. de confederatione principũ memb. 1. vers. Ex quibus nu. 13. Simili ratione posset Episcopus censuris eos premere & à sacramẽtorum participatione repellere. Hanc conclusionem confirmant Concilia quædam capite 28. allata, per quæ discitur, olim dissidentes timore pœnæ ad pristinam gratiam fuisse reuocatos. Tertia conclusio. Potest Episcopus sancire legem, per quam à sacramẽto pęnitentię, & eucharistiæ arceantur ij, qui debito modo requisiti de pace facienda, pertinaciter sine vlla firma ratione reconciliationẽ negant. Hæc veritas nititur his duobus fundamentis. Primum desumitur ex auctoritate conciliorum superius citatorum; in quibus habemus, eos qui reditum in gratiam respuebant, à sacris mysterijs reiectos fuisse. Sunt enim profani, vt antiquus Theologus, & poeta Orpheus cecinit, à re diuina eliminandi.

Dignis sancta loquar, procul arcete profanos.

Et apud græcos sacerdos ad sacrificandum

accessu-

Secunda cõclusio.

Vulpellius.

Declaratur conclusio.

Ioan. Lupus

Cõfirmatur conclusio.

Tertia cõc.

Prima ratio

Orpheus.

accessurus prefari solitus erat τίς τῆδε; Quis hic? qui sacris intererant, referebāt, πολλοὶ κἀγαθοί. Multi, & boni. Et Callimacus in hymnis demonstrat, solitos etiam fuisse dicere. ἑκὰς, ἑκὰς ὅςις ἀλιτρός, hoc est, Foras, foras quicunque impurus. Aut cum Poeta,

Callimach.

Virg.

Procul hinc, procul este profani.

Secunda rō. Cap. 27.

Secundum, quoniam vt late supra probauimus, isti non excusant à peccato lethali; quod publice laborāt, possunt, & debent à sacris mysterijs longe remoueri. Quarta conclusio. Potest princeps, vel iudex, imò debet impedire, ne subditi inter se altercantes remp. perturbent. Hæc doctrina, quæ plana est, traditur à Ioanne Lupo loco citato, & à Pacide, & Conrado locis citatis, & Ioanne Neuiz: in Sylua vers. Conclusio nu. 8. lib. 1. Potest enim Iudex prohibere ne domo exeant, aut iubere, vt extra diœcesim, dum inimicitias exercere volunt, vitam agant. Quinta conclusio. Quando isti non perturbarent remp. non posset secularis iudex, neque etiā indirecte eos cogere ad concordiam per pœnas: posset tamen monere & hortari, vt gratiam conciliare vellent. Est aperta conclusio, quia ad officium iudicis, seu principis illud maxime spectat, vt habeat subditos pacatos. Cum igitur isti ciuitatis pacem non labefactent, non poterit eos ad consensionem compellere. Sexta conclusio. Posset

Quarta cōc.

Ioan. Lupus

Ioā. Neuiz.

Quinta cōc.

Ratio.

Episcopus hos ad gratiæ conciliationem indirecte cogere per aliquam censuram, vt ex dictis satis constat. Nam ad Episcopum pertinet curare, vt fideles non modo pacatè, sed etiam studiose viuant, & ita interdicti & excommunicationis pœna posset obliquè ad conciliationem inducere. Septima conclusio. Nemo potest inimicos compellere ad concordiam ineundam cum detrimento honoris, aut famæ iactura illorum. Ratio est in promptu; quia id sine iniustitia non fieret, quam illæsam seruare reipub. moderatores debent. Postrema conclusio. Potest Iudex dissidentes directe cogere ad dandam fideiussionem de bene viuendo, & de non offendendo. Nam hoc fecit ad conseruandam pacem in rep. Verùm nulla humana etiã atrocissima pœna ita deberet homines ad concordiam impellere, & ad iniurias condonandas excitare, atque sententia illa Seruatoris, quã comminatur, Deum nobis non dimissurum debita nostra, nisi nos dimiserimus alijs. Ad hoc exequendum, inquit Eligius Strouocomensis Episcopus, & si ex cordis nostri duritiã aliquo modo retardamur: oratione tamẽ dominica necessariò compellimur, dum quotidie Deo crebrius dicimus. Dimitte nobis debita nostra; sicut nos dimittimus. Sed cum desiderare liceat, facinorosos puniri, ne propter impunitatem iniquè agendi capiant licentiam, dubitari solet, an liceat, & an quis

debeat

Sexta conc.

Ratio

Septima cõclusio.

Ratio

Octaua cõc.

Ratio

Eligius Hom. 4.

debeat inimicos apud iudicem accusare, de qua re sequenti disputabo capite.

Quis possit, aut debeat iniuriosum hominem accusare. Cap. 40.

QVAMVIS accusatio illiberale quid esse videatur, à qua ingenui homines abstinere consueuerunt: tamen eiusmodi non est, quin aliquando sit honesta, ac etiam debita. Verùm cũ non raró áb ea abstinere liceat, ne quid detrimenti proximo sine ratione afferatur; in vitio videntur esse ij, qui nimis proni sunt ad accusandum: sicuti etiam non vacant culpa, qui dum illiberales videri nolunt ab accusando, cum non deberent, se continent. Non erit igitur inutile, nec ab ea in qua nunc versamur materia alienum, quando accusare quis debeat, aut ab accusatione se sustinere liceat, breuiter in vniuersum quibusdam conclusionibus aperire, si prius quid accusatio, & denunciatio differant paucis docuerimus. Duæ igitur sunt potissimæ viæ, per quas solet alicuius criminis notitia ad iudicem peruenire: altera est via accusationis; altera denunciationis, inter quas, missis alijs, sunt istæ differentiæ. Prima differentia est illa, quæ à fine sumitur; quia accusationis finis est punitio rei propter publicam vtilitatem: denuntiationis verò, est emendatio eius qui errauit, vel impeditio criminis, si non dũ

Duæ viæ, qui bus venitur in notitiam criminis.

Accusatio, & denunciatio quibus differant.

sit

ſit perpetratum. Alterum diſcrimen eſt, quod accuſator debet probare crimen, de quo alium reum facit; ni eandem vult ſubire pœnam, qua is, quem criminatur, puniendus erat, vt Sixtus tertius epiſtola ad epiſcopos Orientales decernit. Denuntians aũt ab hac obligatione eſt liber. Aduertere etiam oportet, accuſationẽ poſſe fieri de crimine contra eum qui accuſat, vel contra remp. vel contra alium hominem commiſſo, aut committendo. His notatis, ſtatuo has concluſiones. Sixtus 3. cap. 4. Accuſatio varia.

Prima concluſio. Accuſatio ex ſe non eſt mala; & à Chriſtianis recte exerceri poteſt. Veritas hæc eſt exploratiſsima, & patet ex conſtitutionibus antiquiſsimorum Pontificũ, vt ex Eleutherij epiſtola ad prouincias Galliæ, Gaij epiſtola ad Felicem Epiſcopum, Stephani ep. 2. Damaſi ep. 3. Adde conc. Carthag. Sextum can. 2. 3. 4. & Africanum. Denique patet ex toto tit. de accuſatione, & tota cauſa 4. q. 6. Eſt autem vera hæc concluſio etiam de perſonis Eccleſiaſticis; ita vt etiam clericis liceat accuſare, etiam in cauſa criminali. Cap. perlatis de homicidio l. 6. Debet tamen clericus, ſi irregularitatis cenſuram ſubterfugere voluerit, præmittere proteſtationem, quæ fieri debet verbis expreſsis, vt Gloſſa in illud caput citatum, & Philippus Francus ibidem numero quinto, docent. Prima conc. Prima ratio Secunda rõ. Tertia ratio Clericis licet accuſare. Admonitio Clericus accuſando præmittat proteſtationem

Secunda concluſio. Quando crimen eſt contra priuatum hominem, non eſt ille obliga-

tus

tus accusare, vel denūciare; sed potest vtrúq; præstare, & ab vtroque abstinere. Hæc conclusio declaratur per ea, quæ supra adnotauimus, & hac ratione confirmatur. Nam si potest omnem acceptam iniuriam condonare, vt inferius probabitur, poterit etiam non accusare. Tertia conclusio. Quando crimen est contra bonum publicum, probabilius esse videtur neminem obligari ad accusandū, si publico bono quis potest conueniēter per denuntiationem, vel alio modo prouidere. Nam in hoc casu cessat ratio accusationis, quæ est communis vtilitas, cui vt ponimus, alia ratione consulitur. Adde etiam, sicuti nemo debet denuntiare crimen, quod potest per correctionem impedire, simili ratione, qui per denuntiationem, vel alia ratione incolumem remp. seruat, non debebit accusationem adhibere. Quarta conclusio. Quando alio pacto non posset quis communi vtilitati consulere, nisi accusando, quilibet esset obligatus accusare. Est hæc doctrina communis, quam & naturale, & diuinum ius confirmat. Nam cum quilibet ciuis sit pars quędam reip. & partis munus sit suum tueri totum: nullus ciuis sine crimine publicam vtilitatem negliget. Hinc Cassiodorus. Ciuis non habetur, qui vrbis suæ gratiam non tuetur. Quod si,

Dulce, & decorum est pro patria mori.

Quantum peccabit, qui sola accusatione bo-

no

Ratio
Cap. 47.
Tertia cōc.
Ratio
Alia ratio.
Quarta cōc.
Ciuis est pars reip.
Ciuis mun⁹
Cassiodorus
Horat. l. 3. od. 2.

ño non prouidebit publico? Intelligenda est hæc doctrina, quando crimen non dum cessauit, aut si aliquantulum cessauit, adhuc aliquid residui manet: puta, si quis hæresim disseminasset aliquam, cuius reliquiæ adhuc superessent. Quinta conclusio. Si crimen sit contra priuatam personam, nemo est obligatus accusare reum, si crimen iam confectum est. Exempli causa: Petrus occidit Ioannē: si ego hoc factum noui, non sum adstrictus aliqua lege accusarē Petrum. Hanc doctrinam tradidit glos. l. fin. ff. de priuatis delictis, verbo pœnam. At Syluester, & Angelus restringunt hanc doctrinam: quando ex illo crimine nihil vtilitatis caperet fiscus; quia si aliquid emolumenti inde perciperet, tunc deberem accusare de istorum sententia, cum accusatio ista admittatur. Verum etsi Petrus in foro exteriori accusari posit, & accusationi locus detur: tamen non prodiret ex caritate talis accusatio, cum ex ea nullum aliud expectetur commodū, nisi illud, quod fiscus capiet. Sexta conclusio. Quando crimen est contra proximum, & adhuc imminet, ac viget; quilibet debet accusare sceleris auctorem, si alia ratione, quod ille machinatur malum, impediri nequit. Fingamus aliquem velle necare Ioānem, quod Franciscus pro comperto habet: si Franciscus non potest hoc malum per correctionem, vel monēdo Ioannem, vt sibi caueat, prohibere; debet

Declaratur conclusio.

Quinta cōc.

Syluest. ver. accus. §. 4. Angel. ver. eod.

Sexta conc.

ad

ad iudicem deferre hoc crimen, vt ipse prouideat: si hac ratione speratur posse prohiberi: quia si spes nulla esset, aut ex accusatione maius promanaret incommodum, non deberet deferre. Septima conclusio. In neutro foro scilicet interiori, & exteriori admonitio debet accusationem anteire. Habetur hæc doctrina cap. qualiter, & quando 2. de accusat. Ratio manifestissima sumitur ex natura accusationis, quæ est, vt non cedat in vtilitatem rei, sed in pœnam: admonitio autem commoditati nocentis consulit. Quando igitur quis possit, debeat, aut non debeat accusare, aut ab accusando desistere, his conclusionibus breuiter explicatum sit. Illud prorsus, & omnino is, qui accusat cauere debet, vt non proximi detrimentum, sed publicam vtilitatem spectet, quam qui spectent, pauci sunt. Vt dicere liceat.

Septima cōclusio.

Ratio.

Admonitio pro accusatore.

Iuuen. sat. 6.

Rara auis in terris.

Caueat igitur quisque sibi, ne dum in alium, iudicem sæuire curat, contra se iniuste agat. Et quoniam per accusationem, ni aliàs facta fuerit, honoris, & famæ, & accepti damni restitutio fit, sequitur, vt de compensatione ab eo, qui iniuriose gessit, faciēda dispiciamus.

Qua ratione honor sit restituendus. Cap. 41.

EA est perfectæ caritatis natura, vt quæ sua sunt, vt ait apostolus, minime querat. Pro-

Propterea si is, qui contumeliam passus est, perfecta caritate intus arderet: non modo signa interioris beneuolentiæ, quæ negare salua religione non potest, ostenderet: sed etiam omnes quas iure contra fratrem habet actiones, aboleret penitus. Sed quando perfectum amorem in paucis reperire contingit, admonendi sunt offensi quomodo repetere, & offendentes restituere famam, & honorem debeant; & de honoris restitutione per hasce sequentes conclusiones ita statuimus. Prima conclusio. Ex se, suaque natura qui honoris iacturam passus est, potest actionẽ, & satisfactionem pro honore reo remittere. Hanc conclusionem confirmat primò communis doctorum auctoritas, quorum loca, & nomina inferius afferam. Deinde scripturæ sacræ hortantur nos ad remittendum omne debitum, & is, qui id facit, laudatur summopere. Postremo qui ita se gerit, si vniuerse loquamur, nemini iniuriam facit; quare non erit reprehendendus. Secunda conclusio. Aliquando condonare restitutionem honoris non expediret, nec liceret. Declaratur, ac probatur conclusio his exemplis. Primò fas id non esset, si persona lęsa esset huiusmodi, vt eius honor alijs esset necessarius; vt si esset episcopus, princeps, quorum procuratio, si inhonorati viuerent, non ita vtilis, ac grata existeret. Ad hæc quando relaxatio ipsi obesset offendenti, puta si euaderet inso-

D. Paulus. Caritatis natura.

Prima conc.

Prima ratio

Secunda ratio.

Tertia ratio

Secũda cõc.

Declaratio

D Auguft. d. can.

lentior,& ad nocendum procliuior. Et denique quando inde maiora ebullirent mala. Ex his veritas conclusionis elucet. Tertia conclusio. Nullus est melior modus restituendi honorem, quàm si quis honorem rependat. Tunc enim optima fit restitutio, cum idem spetie reponitur. Quarta conclusio. Congrua veniæ petitio apta est ad satisfaciendum iniuriæ illatæ. Est hæc conclusio contra quosdam, qui contrarium docent. Dicunt enim per petitionem veniæ non posse satis iniuriæ fieri; quam opinionem vniuersè acceptam, à vero declinare existimo. Hanc doctrinam declarantes dicimus, intelligendam esse de simplici petitione veniæ; & non consideramus nunc verba, quæ speciatim in grauioribus iniurijs tollendis adhiberi solent. Approbant hanc sententiam doctores nostræ scholæ illustres, vt Sotus, Martinus Ledesma,& alij. Confirmari quoque potest ex locis scripturæ sacræ, quibus præcipitur, vt pœnitenti, hoc est veniam petenti remittamus iniuriam. Adde etiam, quod sicuti contumelia includit despicientiam, ita petitio veniæ reuerentiam: & sicuti qui despexit, per superbiam se extulit: ita qui veniã petit, submissione se deprimit. Denique vt scripsit Mutius, si Deo per petitionem veniȩ satisfacimus, cur non etiam satisfaciemus homini? Quinta conclusio. Aliquando hic modus restituendi honoris non esset conueniens.

Tertia cōc.

Quarta cōc.

Damnatur sententia. Caiet. 2. 2. q. 22. art. 3.

Declaratur conclusio.

Prima ratio.

Sotus Martinus Ledesma.

Alia ratio.

Alia ratio.

Quinta cōc.

niens. Declaratur,ac probatur hæc conclusio his exemplis. Primò non esset conueniēs, si pater affecisset aliqua iniuria filium, vt ad eius pedes supplex accederet: quia nimis au ctoritati paternæ detraheretur. Nec enim placet eorum sententia,qui tantum tribuunt honori,vt velint, filios ad singularem pugnā parentes honoris causa prouocare posse.Secundo si p̄latus,veluti episcopus,offendisset clericum aliquem, non esset congruū, vt hac ratione ei honorē restitueret: sed sufficeret, si eum blande alloqueretur, si indicaret se illum non paruipendere. Et idem dicas in similibus. Hanc doctrinam approbant multi ex nostris,& est D. Augustini loco alibi citato. Ne dum (ait Augustinus) nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sexta conclusio. Sola veniæ petitio non esset interdum sufficiens; sed certa verba essent necessaria ad perfectè restituēdum honorem; veluti si iniuria esset maioris momenti propter circunstantias personarum. Immo aliquando opus esset etiam aliqua punitione offendentis ad correctionem, puta, cum inferior superiorem iniuria affecisset. Quod sola veniæ petitio interdum non sufficiat,docent præter alios,Sotus & Couar.Ex quibus licet concludere, quando sola veniæ petitio locum habeat: tunc scilicet quando iniuria non est ita grauis, & quando æqualis conditionis homini vel non admodum ordi-

Declaratio & probatio.
Ant. Ber.
Cap. 11.
Aug. d. 16. c. quando.
Sexta conc.
Sotus Couar.

ne differenti est illata, vel ab inferiori, superiori. Quæ autem verba præter nudam veniæ postulationem sint necessaria ad quamcunque iniuriam tollendam, non facile est regula aliqua comprehendere, sed ad regulam rerum moralium, idest ad prudentem virũ, qualẽ supra depinximus, est recurrẽdum, qđ Octauianus Vulp. tractatu suo de pace faciendum monuit. Septima conclusio. Quando non esset alius modus restituendi honorem, quàm per veniæ petitionem, hic modus adhibendus omnino esset: quando autem esset alius modus conueniens, non esset quis obligatus veniam petere. Prima pars huius conclusionis est omnino manifesta, quia restitutio est de necessitate salutis. Quare ni posset aliter fieri, hoc modo facienda est. Altera pars etiam est nota, cum satis sit aliquo modo restituere. Hanc doctrinam speciatim Iosephus Angles in materia de restitutione tradidit. Octaua conclusio. In restitutione honoris, quantum fieri potest seruari debet æqualitas, ita vt non adsit notabilis iactura honoris offendentis. Nam non modo esset contra caritatem, proximum remanere omnino inhonoratum; verum etiam esset contra iustitiam, ad quam retinendam inuenta est restitutio. Accedit etiam, quod maior honoris iactura offendentis in restituendo, tùm ad honores, & bona quæ posside conseruanda, tùm etiam ad alia obtinenda, nimiũ

Octauianus Vulpel.

Septima cõclusio.

Prima pars cõclusionis probatur.

Altera pars probatur.

Ioseph' Angles.

Octaua cõc.

Ratio.

Secunda rõ.

obesset. Quam ob rem tenendum est memoria, quod Horatius sapienter cecinit. Horatius.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Nona conclusio. Satisfactio honoris posset fieri pecunia. Hoc est: si offensus, cum alia via commodè honor non restitueretur, vellet sibi fieri restitutionem pecunia, posse id fieri statuimus. Nec me latet hunc modum honoris restituendi apud nobiles equites, nō probatum iri, quod non contendo; sed solū hic doceo, posse hac ratione conscientiæ, & iustitiæ satisfieri. Contingeret hic casus, quando vir illustris iniuriam fecisset ignobili; aut prælatus inferiori clerico; aut si clericus iniuriam alicui intulisset, & secundum loci consuetudinem, quæ detestanda est, deberet ad satisfaciendum pro honore ablato, manibus cedi, quod nullo modo licere decernitur cap. contingit de sententia excommunicationis ab Innocentio tertio. Nam hoc cadit in cōtumeliam ordinis, in cuius fauorem hoc decretum fuit; ac propterea nemo posset ei renunciare, vt Benedictus Varchius vir eruditissimus, cū super iniuria Abbati cuidam facta scriberet, recte existimauit. Conclusionem verò positam communis doctorū sententia confirmat, & speciatim Bartolus l. cum mota c. de transact. Baldus, & Alexander l. si tibi decem §. quædam de pactis. Petrus Follerius in sua praxi canonica de accu-

Nona conc. Declaratur conclusio. Consuetudo quædam damnata. Innocent. 3. Bened. Var. Bartolus. Baldus. Alexander. Petr. Foller. nu. 26.

Couaru. c. 10. nu. 7. ſatione porrecta. Et Couaruuias lib. 2. variarum reſolutionum. Suffragatur huic conclusioni exploratiſsima ratio: quia honor poteſt pecunia æſtimari: pecuniç enim obediũt omnia. Medina. Ex hac doctrina Didacus, & Medina in materia de reſtitutione inferunt, eum qui perpeſſus eſt iniuriam non eſſe obligatũ ad reſtituendam pecuniam, quam accepit, vt iniuriam remitteret, & ſi hac de cauſa promiſſa fuit, poteſt agere in iudicio, vt ſibi ſoluatur l. tranſigere C. de tranſactionibus.

A quo debet fieri honoris æſtimatio. Si quis de me quærat, à quo debeat fieri honoris æſtimatio: reſponderem de mente multorum, debere fieri ab actore, ſalua tamen iudicis æſtimatione, ſeu limitatione. Ita docuit gloſſa cap. parochianos de ſententia excommunicationis, Couar. & Couaruuias loco citato. Menochius legendus. Panormit. Contra fit in æſtimatione damnorum, & expenſarum, quæ æſtimãtur à Iudice: vt cenſuit Panormitanus cap. vltimo de his, quæ vi, metusve cauſa fiunt; & cap. olim de iniurijs; quo loco doctores ſacrorum canonum hac de re diſputant. Decima cõclusio. Decima concluſio. Reſtitutio honoris non eſt facienda hæredibus. Hoc eſt; is qui intulit iniuriam, non eſt obligatus ſatisfacere pro iniuria hæredibus defuncti, quem læſit. Intelligenda eſt Declaratio hæc veritas, quando ad illos non manauit iniuria. Ratio. Nititur hæc veritas huic rationi. Quoniam reſtitutio honoris debet fieri perſonæ, quç fuit iniuria affecta, cum non tranſfera-

feratur in posteros vt restitutio aliorum bonorum. Quo fit, hæredes offendentis ob eandem rationem non esse obligatos restituere honorem offenso, nisi quando honor æstimatus esset pecunia, & solutio nõ dũ esset facta. Vndecima conclusio. Quando iniuria tangit alios præter illum, qui primò offensus est, illis omnibus satisfacere oportet: & si ille remiserit iniuriam, non censetur satisfactũ esse cæteris. Doctrina communis est multorum canonistarum, & nominatim glossæ cap. parochianos de sententia excommunicationis & cap. contingit eod. Casus incidere posset, quando iniuria esset facta seruo, vel monacho, vel filio familias, quia tunc iniuria promanaret ad alias personas. Conclusio nititur huic regulæ. Quando actio competit pluribus, vno remittente; alij remisisse nõ censentur: & ita remanet obligatio ad satisfaciendum cæteris. Duodecima conclusio. Ad restitutionem honoris sunt obligati etiã ij, qui aliquo modo causa extiterunt illatæ iniuriæ. Est enim regula notissima iuris: qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Quare si iniustitiæ causa quis extitit, restituat æqualitatem necesse erit. Postrema conclusio. Qui satisfecit clerico pro iniuria illata, non est liber ab ea, in quam clericum lædendo incidit, excommunicatione. Ita probat cap. Quamuis de sententia excommunic. Et hæc de honoris restitutione, quantum

Vndecima conclusio.

Gloss.

Regula quædam.

Duodecima conclusio.

De reg. Iur. l. 6.

Tertiadecima concl.

tum ad religionem pertinet, diſputata ſint: quæ licèt poſſent eodem ferè modo accommodari reſtitutioni famæ: tamen vt planius omnia tradantur, ſeorſim de fama reſtituenda diſputabimus.

Quomodo ſit reſtituenda fama. *Cap.* 42.

Pauſanias

Fama curanda.

Prou. 20.

Eccl. 41.

Cicero.

TANTVM famæ antiquorum ſuperſtitio tribuit, vt Pauſania auctore, quidā tanquam Deam colere non dubitauerint. Et certè plurimi faciendam eſſe, etiam diuina oracula demonſtrant, dum diuitijs preferendam ac pręcipuam eius curam habendam eſſe monent. Quam ob rem mirum eſſe non debet; ſi omnes non modo artifices, verùm etiam philoſophi, vt Marcus Tullius prima tuſculana oſtendit, eam tam ardenter appetunt. Verùm vt in omni aliarum rerum appetitione humana opinio decipi ſolet, ita etiā in appetitione famæ: & tunc præcipue, cum ſe maiorem exiſtimationem homines adeptos eſſe arbitrantur, cum de alterius fama aliquid detractum eſſe viderint. Quam ob rem faciles ſunt homines ad aliorum famam infuſcandam; & ſuam ſibi ablatam eſſe, facile exiſtimant. Qua in re præcipue erratur, dum falsò mundus ſibi perſuaſit, iacturam fieri famæ, cum quis conſtanter iniuriam illatam tulerit; qui error ex hominum animis non modo circumcidendus, & amputandus; ſed etiā

euel-

euellendus, ac extrahendus esset. Fama enim verè amitti nequit, nisi ob aliquod patratum scelus, quòd is qui iniuriam patitur, non committit, vt suo idoneo demonstrabitur loco. Verùm cum sępe contingat, vt qui iniuria afficit, crimen aliquod obijciat falsum, aut si verum, non dum tamen apertum; vnde fratris nomen minus illustre redditur; quomodo ei fama restituenda sit, vbi de honoris restitutione dictum fuit, demonstremus. Prima conclusio. Famæ restitutio est necessaria ad salutem consequendam. Hæc veritas est intelligenda etiam si inde aliud dispendium proximum non capiat, quàm famę iacturam: estque tam vera hęc conclusio; vt sit certa fide tenenda: & eam confirmant auctoritates sacrę scripturæ, quibus nobis famæ cura commendatur. Huc facit totus titulus de purgatione Canonica & doctrina Anacleti 6. q. 1. can. Deteriores. & Greg. ibidem can. ex merito. Adriani 6. q. 1. can. 1. & cæteri in eadem q. canones. Facit etiam ius ciuile C. de libellis famosis. Secunda conclusio. Vt fama restituenda sit, debet re uera esse ablata. Nam sæpe contingit, etiam si quis dicat, aut faciat ea, per quæ fama auferri posit; vt reipsa non auferatur, quod varijs modis accidere solet. Vt ecce. Si quis non existimaret sibi infamiam inuri, licèt de ipso turpia dicantur: vt si de milite glorioso diceres multos inimicos necasse: vel de meretrice

Fama non amittitur vere nisi ob aliquod scelus

Prima conc. Declaratio

Prima ratio

Secunda rō.

Anacletus. Gregorius. Adrian.

Secūda cōc.

Quibus modis fama nō cēset amissa

retrice quamplurimos cognoſcere viros. Itē quando is, quem infamas, aliàs amiſiſſet famam. Vel denique ſi infamiam audientes, non haberent detrahenti fidem. Tertia conclusio. Vt fama reſtitui debeat, debet eſſe iniuſtè ablata. Poteſt enim vſuuenire, vt quis auferat famam ſed iuſte: & quia tunc iuſtitia non læditur, non eſt cur facienda ſit reſtitutio. Ita poteſt accidere in iudice, qui dum aliquem reum condemnat, etiam infamia notat, ſed non eſt obligatus ad redditionem famæ, cum id iuſte faciat. Verùm vt iuſte auferat, requiritur veritas criminis ſaltem per teſtes probata, niſi adſit ſecundū rei veritatem: requiritur etiam ordo iuris: hoc eſt, vt ſit accuſatus de crimine notorio: demum requiritur neceſsitas, quæ præcipuè ſumitur ab vtilitate reip. cuius potius ratio habenda eſt, quàm famæ priuati hominis.

Tertia cōc.

Fama poteſt iuſte auferri

Quæ requirant ad hoc vt iudex iuſte dicatur infamare.

Quarta concluſio. Hæc obligatio tunc viget, & conſtringit, quando aliàs non eſſet recuperata fama. Si enim alia ratione is qui fama priuatus eſt, recuperaſſet, qui abſtulit, à reſtituendo liberaretur. Quinta concluſio. Non modo reſtituenda eſt fama, ſed etiam damna, quæ ſenſit is, qui famam amiſit. Eſt doctrina Adriani in 4. in materia de reſtitutione & non eget confirmatione. Sexta concluſio. Quando fama detracta fuit per impoſitionē falſi criminis, reſtitui debet hoc modo. Debet is, qui falſum dixit, dicere coram

Quarta cōc.

Quinta cōc.

Adrianus

Sexta conc.

Modus reſtituendi famam.

ram illis apud quos infamia proximum notauit, se falsum dixisse. Hic est communis Theologorum consensus d. 15. 4. sent.& nominatim Alber: art. 39. Addunt aliqui, vt Sylu. & Iosephus, debere etiam confirmare iuramento, si opus est, se falsum dixisse. Albert. Sylu. Iosephus.

Septima conclusio. Quando quis notasset alium infamia, verum quidem narrando, sed occultum detegendo sic restituenda esset. Septima cõclusio.

Primo potest dicere, se contra caritatem, & ordinem iuris fecisse detegendo occultum crimen, & detrahendo ei famam, qui adhuc eam possidebat. Secundo si aliqua ratione excuset errantem, & crimen minus graue esse demonstret; ita tamen, vt nunquam mentiatur, ne dum restituere famam studet, aliquid peccet. Deniq; si illum laudet, ob alias virtutes, & eo quo potest modo existimationem quam minuerat, resarciat. Modus restituendi famam.

Sed dicat quispiã, Cur me ad restitutionem famæ obligas, cum verum fuerit crimen, quod manifestaui? Dubitatio.

Facilis est responsio. Dum crimen occultum est, possidet adhuc qui errauit, existimationem suam apud alios, qui ignorant, & adhuc fruitur hoc bono, quo tu illum priuas. Quamobrem licèt ob culpam commissam indignè possideret: tamen quia occultũ erat, iuste possidebat, & ita iniustè priuatur. Responsio

Octaua conclusio. Neque fama, neque honor restituenda sunt, cum periculo probabili mortis. Octaua cõc.

Hoc est; si quis restituendo ista Declaratio.

bona,

bona, timeret probabiliter mortem; non est obligatus cum hoc periculo restituere. Doctrina hæc est communis Theologorum in materia de restitutione quam aliàs publice docens latissime probaui, & nunc breuiter

Ratio.

hac ratione confirmo. Quoniam ratio non suadet, vt cum iactura maioris boni restituatur minus bonum: sed vita est maius bonum quàm fama, & honor. Ergo non debet quis cum iactura vitæ restituere famam. Quoniam non seruaretur æqualitas: & qui restitutionem cum tali periculo vellet sibi fieri, à

Notandum fundamentum.

ratione longissime aberraret. Verùm cum aliquo periculo mortis esset restitutio hæc facienda, si maximum detrimentum proximus in dictis bonis caperet. Sed de hac re planius, & fusius disputandi non est hic lo-

Nona conc.

cus. Nona conclusio. Fama, & honor restituenda sunt proximo, cum aliquo detrimē

Admonitio

to famæ, & honoris proprij. Quo fit, vt nemo sit excusatus à restituendo, ex eo quod detrimentum sentit in his bonis: & sibi imputet, cum iniuste proximum his bonis pri-

Probatio

uauerit. Ratio pro hac conclusione à simili deducta, talis est. Qui damnum infert in bonis externis, furando; debet cum detrimento bonorum externorum restituere. Ergo & qui in his bonis nocet, cum detrimento ho-

Admonitio circa modū restituendæ famæ.

rum bonorum debet æquale reddere. Denique quantum ad modum famæ restituendæ, attendenda sunt etiam, quæ supra de mo-

do

do restituendi honorem disputauimus: quæ sicuti & alia multa, quæ de his restitutionibus dici potuissent, ne longum faciam, libens prætermitto: cum ea hoc loco dixerim, quæ ad rem nostrã faciebant. Vnũ illud admonendi sunt homines, vt caueant quantũ fieri potest ab infamando proximo; tũ quia maximo bono eũ priuant: tũ quia rarò, & vix bene fit hæc restitutio. Sequendum ergo est consiliũ Hermiæ, quod ita habet. De nullo male loquare, neq; libenter audias male loquentem. Perniciosa est detractio, incõstans dæmoniũ; nunquã in pace cõsistit, sed semper in discordia manet. Sed nunquid est tale bonũ, vt eius restitutio negligi, aut remitti possit? Grauis est dubitatio, ad quam tamen sic breuiter respondeo. Primò dicerem posse hominem sine vitio hanc restitutionem negligere, aut remittere. Nam cum homo sit dominus famæ, si aliquando ratio id exigeret, posset eam in alicuius vtilitatem exponere, sicuti & pecunias. Quod autem sit dominus, manifestum est: quoniam eam proprijs operationibus sibi acquirit. Deinde Christus dominus, ac sanctorum plerique maxima cum laude, & merito famam neglexerunt. Christus enim cum turpissimis notis inureretur, vt est apud Ioannem capite vigesimo tertio, non respondebat. Quare si ad imitationem Christi licet infamanti non respondere, licebit etiam, cum ratio id postulabit, famam negligere.

Admonitio ne fama auferatur.

Hermias lib. 2. mãd. 3

Contra detractores.

Dubitatio grauis.

Resolutio

Ratio.

Homo est dominus famæ.

Ratio 2.

Ratio alia. gere. Postremo si licet pro parentibus vitam profundere, cur etiam non licebit, facere iacturam famæ? cum fama non sit nobis necessaria, nisi propter alios. Diceremus secundò, quandoque non licere famam negligere, aut restitutionem non procurare, quando scilicet maius malum, vel spirituale, vel temporale, proprium, vel alienum inde sequeretur: qua ratione Episcopus non posset suam famam negligere; si ad vtilitatem suorum subditorum esset ei necessaria. Idem de eo, qui remp. administraret diceres, si ad meliorem gubernationem famæ integritas esset ei necessaria. Et hæc de restitutione famæ dixisse sufficiat. Sequitur nunc, vt de restitutione damni ob mutilationem illati, aliquid dicamus.

Quando nõ liceat famã negligere.

Gregorius legẽdus homilia 19. in Ezech.

Aug. d. 15.

De restitutione à percussore, & mutilatore facienda. Cap. 43.

Cicero.

QVAMVIS parui, & angusti animi esse videatur amare diuitias, atq; proinde magni animi viri, honore, & fama recuperatis, nullam bonorum externorum rationem habere soleant; tamen quia sæpe contingit vt inferioris notæ homines, si quid detrimenti per iniuriam in his bonis acceperint, ista bona requirant, cum ratio ipsa hoc postulet, vt cuiq; à quolibet pro quocunq; damno illato satisfiat: ideo de restitutione

damni

damni in bonis externis, tùm ratione mutilationis, tùm occisionis, vel alijs modis illati, ne hæc pars, quę de restitutione agit, mutilata videatur, aliquid dicendum videtur. Prima conc. Remissa actione iniuriarũ potest offensus agere actione damni illati, & ita illa abolita, ista adhuc vigere censetur. Est hæc doctrina contra quosdam iurisperitos, & nominatim contra Io. Fabrum §. fin. de iniurijs qui contrarium defendit. Confirmatur hæc veritas comuni scribentium calculo; theologorum, Summistarum, Canonistarum tit. de iniurijs, & speciatim hoc docent Panormitanus, Ancaranus, & Speculator, titulo de accusat. §. pr. vers. Qui si vulneratus numero 8. vbi habet, hoc esse verum, etiam si acceperit pecunias pro remissione iniuriæ. Glos. cap. si canonici, vers. damnis. de officio ordinar. l. 6. Bal. l. si pro fure ff. de condic. furt. Angelus & alij §. fin. de iniur. & l. si tibi decem §. D. ff. de pactis. Accedat etiam ratio hæc firmissima; quia istæ sunt duæ actiones omnino distinctæ, & vna exstincta, alia adhuc vigere censetur. Vnde Bart. l. si domus ff. de seruit. prędi. vrb. Quando plura iura competunt, si vnum est remissum, alterum non censetur remissum. Huc facit cap. si rixati. de iniurijs. Secunda conclusio; Damna, quæ quis patitur ob mutilationem sunt restituenda. Hæc conc. patet ex locis citatis

Prima conc.
Io. Faber.
Panormit.
Ancaran.
Speculator.
Glos.
Bald.
Angelus.
Ratio
Bartol.
Regula iuris.
Exod. 22.
Secũda cõc.

cap.

Exod. 21. cap. si rixati, & Exod. 21. Et ratio est aperta, quia omnis inæqualitas reducenda est ad æqualitatē, vt 5. eth. c. 5. docet Arist. Intelligenda est conc. qñ mutilatio iniuste facta fuit, & qñ non fuit pꝛouocatus: aut si fuit prouocatus, non defendit se cum moderamine inculpatæ tutelæ; sed ex intentione, aut si sine intentione, culpabiliter mutilauit. Tertia conclusio. Hæc restitutio facienda est pecunijs, & alijs bonis externis: etiam si mutilator pœnas dedisset per legē talionis. Finge, vt res declaretur, Petrum truncasse manū Francisco: etiam si per sententiam iudicis Petro obtruncata esset manus, adhuc Petrus deberet satisfacere Francisco pro damno dato: Nam aliud est satisfacere pro transgresſione legum; aliud pro damno illato proximo. Et cum hæc doctrina sit certisſima, non est cur pluribus eam confirmemus. Quarta conclusio. Mutilator debet satisfacere pro omni damno prouenienti directe mutilato, ex mutilatione. Vt ecce. Debet primo satisfacere pro sumptibus factis in curatione vulneris. Secundò pro his, quæ lucratus esset toto vitę tempore, si membro illo non caruisset: Et deniq; pro omni lucro cessante. Hinc est, qđ si ille sua arte alebat filios, quos postea non potest alere, debet mutilator de suo alere vsq; ad eam ætatem, ad quam pater erat obligatus alere. Rursus deberet satisfacere

Aristot.
Declaratur conclusio.
Nau. de ho. nu. 15.
Tertia cōc. Nau. c. 15. nu. 22.
Declaratur conclusio.
Quarta cōc.
c. si rixati.
Quæ damna debet resarcire mutilator.
Mutilator debet alere filios mutilati.

ijs, quibus de iustitia debebat aliquid soluere, si ob hanc causam est factus impotens ad soluendum. Quod si nihil lucrabatur, illo membro mutilatus, aut nullum damnũ emergit ex mutilatione liber erit ab hac restitutione; illis etiam, quibus ex liberalitate aliquid largiebatur, nihil dare ex iustitia debet. Conclusio ista patet ex loco citato cap. rixati, & ex Caio l. final. ff. de his, qui deiecer. vbi habetur expensas sarciendas esse iudicio Iudicis. Et regula iuris hoc idem confirmat. Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Sed iste dat sufficientem causam damni. Ergo hoc damnum compensare debebit. Quarta conclusio. Ista restitutio est facienda nõ deductis laboribus, & arbitrio boni viri. Quod non sint deducendi labores, quos suscepisset, si laborando lucratus fuisset; in primis probatur ex communi sententia doctorum contra Ioannem Maioris, qui contra existimauit: contra quem est etiam hæc ratio manifesta. Quia labor est, qui mercedem meretur, quo detracto, non est pro quo restituas: quod autem confugiendum sit ad iudicium boni viri, patet; quia hæc est regula actionum humanarum. Quinta conclusio. Probabile est, mutilatorem debere restituere aliquid, etiã pro membro mutilato, & deformitate inducta corpori. Dico esse probabile; quia in hac conclusione nõ conueniunt do-

Quando mutilator non debet restituere.

Caius.

Regula iuris l. 6.

Quarta cõc.

Ioã. Maior.

Arist. 1. rhe. cap.

Quinta cõc.

Declaratio.

Dubitatio Nauar. cap. 15.n. 19. Panorm. Couar. Roman. An homo sit dñs corporis.

ctores. Nam Nauar. Panor. Glos. C. si rixati Couar. Roman. cons. 128. & quidam alij contrarium sentiunt. Imò videtur communis opinio Iurisperitorum, qui docent hominem non esse dominum corporis sui, & probant per l. ex hac ff. si quadr. paup. fec. & le. fin. ff. de his qui deiecerunt: Quibus in locis dicitur; liberum corpus æstimationem non recipere. Zasius apologia contra Echium, defendit eandem sententiã neminem esse dominũ suorũ membrorum, aut vitæ. l. liber homo ff. ad l. Aquil. Glos. Clem. pastor. §. notorium. Quamobrem cẽsent hi doctores, solum corpus seruile esse æstimabile, tùm propter operas: tùm quia vendi potest l. si seruus §. rupisse ff. ad legem Aquil. Sunt etiam, qui excipiant feminas, vt Alberic. & Iacobus Rauen. dicta l. ex hac. In contraria sententia sunt. Palud. Ricar. Sotus, Scotus, & Ledesma probatur ergo conc. posita auctoritate istorũ doctorum & accedat apertissima, & grauissima auctoritas D. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad primum: secundo fauet huic conclusioni hæc ratio; quia priuari membro est quoddam magnum malum, & aliquo modo potest compensari, puta pecunia. Ergo debet fieri illa compensatio, quæ possibilis est, vt ait D. Thomas. Adde etiam, quia videtur quoddam furtum. Quare si pro rebus externis sublatis, necesse est restituere;

Zasius.

Glossa

Alberic. Iac. Rauen. Petrus de Palud. Ricar. Scot. Sot. Led. Prima ratio pro conc. & D. Tho.

Tertia ratio

cur

cur non etiam pro membro? Deniq; quia non videtur maior ratio de seruo, quàm de alijs hominibus, cum deformitas inusta corpori, illud reddat deterius, quod detrimentum in quocumq; corpore potest pecunia æstimari. Leges autem illæ, quas pro se affert contraria opinio, possent sic intelligi. Primo, quòd æstimatio liberi corporis sit tam magna, vt non fuerit facienda p leges. Vel secundo, leges illę intelliguntur, quando casu fuit facta deformitas; quia tunc non debet esse ita exacta restitutio, cũ non sit facta data opera, vt patet, ex tit. illarum legum. De his, qui deiecer. & si quadrupes. quo modo aliquando Panor. has leges declarauit. Iuxta hanc sententiam idẽ dicendum esset de vita hominis, quam qui aufert, deberet restituere, ęquiualenti restitutione, per pecunias cum possit etiã vita æstimari. Infertur etiam; si quis ob cicatricem corpori relictam, aliquod damnum pateretur, deberet qui læsit, pro hoc damno restituere. Verbi causa; si virgo esset deformata cicatrice, & propterea maiori dote locanda esset; qui deformauit, deberet illud amplius soluere. Sexta conc. In hac restitutione facienda non est seruanda regula Adriani, dicentis, tantũ restituendũ esse, quanti mutilatus faceret membrum, aut corporis integritatem. Nam hæc regula est nimis rigida, cum nemo manum, vel bra

Exponuntur quędã leges

Prima explicatio.

Secunda explicatio.

Panorm.

Corollariũ.

Corollariũ

Sexta conc.

Adrian.

chium daret pro magna vi pecuniarũ. Quare melior est regula Marsilij, vt recurramus ad iudiciũ boni viri, qui in determinãda hac restitutione deberet ista animaduertere. Primo considerandæ sunt ambæ personæ, mutilans, & mutilata, & quæ sit earum condicio. Secundò attendenda est malitia, qua illatum est damnum. Tertiò considerandum est, non posse in his casibus, fieri æqualitatem ad vnguem; & ita debet decerni restitutio quæ fieri posſit. Quamuis autem magna probabilitate non careat doctrina illa conclusionis quintę: tamẽ in re morali posset quis tuta conscientia non satisfacere pro membro, & deformitate, & vita. tùm quia doctores multi id docent: tùm quia homo non videtur dominus membrorum, & vitæ: tùm quia non sunt in vsu istę restitutiones, & ita possent excusari qui eas non faciunt. Diximus de restitutione damni dati ob mutilationem: nunc de restitutione ob homicidium breui disseramus.

Marsilius 4. d. 15.

Regula pro restitutione dãni illati.

Doctrina aduertenda.

De restitutione facienda ab homicida. Cap. 44.

TAM implicata, tamq; ardua ea est restitutio, quam facere homicida debet, vt aliqui non infimæ notæ doctores hoc consilij homicidæ dederint; vt in aliquo bello iusto vitam pro reip. vtilitate profundat, vt hac ratione iustitiæ, quam hominem necando

Anton. 2. p. Scot. d. 15. Restitutio pro homicidio ardua.

do

do læſerat, aliquo modo ſatisfaciat. Verùm licèt admodum difficilis iſta reſtitutio ſit: tamen non eſt neceſſe, vt homicidas ad has anguſtias redigamus. Vt igitur viam aperiamus, qua poſsit ab hac obligatione homicida ſe extricare, has ſtatuo concluſiones. Prima concluſio. Interdum homicida ad nullam eſt obligatus reſtitutionem. Primo quando occiſus, & occiſor ſe mutuo prouocarunt, vt accidit in ſingulari certamine. Secundò quando qui necauit fuit importunè prouocatus ad pugnam. Et ratio eſt, quia volenti non fit iniuria. Tertio quando ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ contra iniuſtum inuaſorem, licèt contra, ſed non benè aliqui ſentire videantur. Quarto quando occiſus ante obitum, aut hæredes occiſi condonarent omnem reſtitutionem; ad quod faciendum confeſſarij & pacificatores poſſunt hortari offenſos, vt hac ratione conſulant ſaluti occidentium, cum tales reſtitutiones difficiles ſint, & raró fiant; & ſi fiunt, non ſatis bene. Ita tamen hortari debent, vt prodigi non ſint alienæ rei, quod maxime contingeret, ſi hæredes demortui eſſent pauperes. Secunda concluſio. Pro homicidio; & idem dicas de mutilatione; nemo eſt obligatus reſtituere bona ſpiritualia. Hoc eſt, mutilator, vel homicida non eſt obligatus vi iuſtitię preces fundere, aut rem ſacram

Prima concl. Quando homicida ſit liber à reſtituendo.

Iniuria non fit volenti.

Admonitio pro confeſſariis.

Secūda concl.

Declaratio

facere, aut dare eleemosynam pro anima defuncti, aut mutilati; similiter iustitia non obligat ad dandum consilium offenso, vt velit æquo animo ferre offensam, vel ad eius animum aliqua consolatione releuandum. Hæc doctrina est præter mentem Scoti, Antonini, Adriani, Almaini, & quorundam aliorum. Est tamen nostra conclusio à pluribus recepta, quæ etiam rationibus nititur: Primo, de vigore iustitiæ non potest dari spirituale pro temporali bono absque crimine simoniæ: accedit etiam, quòd inter hæc bona non est aliqua proportio, cũ bonum spirituale infinitis partibus superet temporale. Iustitia autem consistit in proportione. Quare non poterit hac ratione resarciri. Secundo, cum orationes, & bona opera illius, qui est in peccato mortali, nihil ad satisfaciendum valeant, deberet is, qui restituturus est, reconciliare amicitiam cum Deo, ad quod etiam deberet cogi, vt gratas Deo preces offerendo iustitiæ satisfaceret. Tertiò quid si christianus infidelem necasset? deberetne orare pro illo, cui precationes nihil prodesse possunt? Demum cum ecclesia neminem vnquam ad hanc restitutionem obligauerit, neq; nos obligare debemus. Tertia conc. pro iniuria facta in homicidio, & ad satisfaciendum legi pœnali, nemo sub peccato est obligatus se se offerre iudici, vt de se pœnas sumat:

Scot. Anton. Adrian.

Prima ratio

Secunda ratio

Tertia ratio

Quarta ratio

Tertia conc.

mat: neq; debet ob eandem causam in bello se exponere, & vitam pro patria profundere: neq; si hæc pœna à confessario imponeretur, est obligatus eam acceptare. Ratio totius conclusionis est, quoniam huiusmodi satisfactiones non sunt per se necessariæ, ad sarciendam hanc inæqualitatem, cum alijs modis iustitiæ, & perpetrato peccato possit satisfieri. Quare si quis ista efficeret, viam consilij ingrederetur. Quarta conc. homicida debet restituere hæredibus omnia damna & omnes sumptus factos, & omnia lucra cessantia ob mortem occisi. Huius restitutionis regula erit bonus vir, qui debebit hæc animaduertere. Primo personam demortui, an esset senex, an iuuenis: si erat vtilis vel inutilis familiæ. Secundo, incertitudinem vitæ, & contingentes fortunæ casus. Tertio, incertitudinem lucri, & an potuisset paulo post aliquod damnum in suis bonis accipere. Postremo est inspicienda conditio personæ, quæ debet restituere, an sit diues, an pauper; idem de persona cui facienda est restitutio, dicendum est. Nemo tamen est obligatus redigere se ad extremam necessitatem, vt restituat: verùm cum hæredes demortui essent indigẽtes, & laboraret extrema necessitate, deberet restituturus redigere se ad grauem necessitatem. Est etiam obligatus restituere famam, & honorem posteris, si istorum bonorum damnum ad eos promanauit.

Ratio

Quarta cõc.

Regula pro restitutione facienda ab homicida.

Admonitio

Cap. 41. 44.

Quinta cõc. uit. Quinta conc. Hæc damnorum restitu tio ex sua natura facienda est, etiam si hæredes defuncti sint diuites. Est contra Ioan. Maior. & est doctrina satis perspicua; cum inęqualitas semper reduci debeat ad ęqualitatem. Aliàs, cum quis furatur bona hominis ditissimi, puta Regis, non deberet illa restituere, quod est falsissimum. Sexta conc. Restitutio hæc actiua transit ad hæredes occidentis, si forte ipse mortuus est ante factā restitutionem. Nam hæreditas transit ad ipsos cum hoc onere: & homicidæ bona iam erant obligata huic restitutioni. Septima conc. facienda est hæc restitutio omnibus hæredibus defuncti. Declaratur hæc doctrina. Hæredes sunt in duplici differentia: alteri sunt necessarij, qui non possunt exclu di in totum ab hæreditate, vt sunt filij: alteri non necessarij, qui poterant excludi ab hę reditate: sed cum non excluduntur, de iure possunt hæreditatem adire. Dicimus ergo, restitutionem faciendam esse omnibus his hæredibus, qui quacunque ratione possunt hæreditatem petere: licèt Sotus, & Ledesma contra sentiant. Nostra autem opinio relictis alijs rationibus sic breuiter com probatur. Omnes hæredes habent facultatem in foro exteriori petendi totam hæreditatem, & quidquid ad illam consequitur. Sed in his bonis continetur id, quod defuncto ex iustitia debebatur: ergo illis facienda

Ioã. Maior.

Sexta conc.

Septima cõ clusio.

Hæredes in duplici differentia.

Sotus Ledes. Ratio.

est hæc restitutio ab hæredibus occidentis. Nam quod in foro exteriori iuste fit sine prę sumptione, obligat etiam in foro cõscientię. Ex his conficitur, debere restituere etiã creditoribus, & ijs quibus ex iustitia aliquid de mortuus debebat. Deducitur insuper, quod etiam superiori capite de mutilatore diximus, non liberari homicidam si pœnam talionis passus est à restitutione facienda ijs, quibus damnum intulit. Confessarij autem, eos qui restituturi sunt non facile absoluant, donec restitutio facta fuerit, aut cito faciendam esse probabiliter existimauerint. Quòd si durum restituere videtur; audiant restituentes, matrem puero nauseanti, qui bouis intestina comederat dicentem. Ne time fili, non enim ex tuis, sed ex alienis vomis. Sed quoniam non modo priuatæ personæ, sed etiam publicæ, hoc est iudici, & legibus satisfacere reus debet, vt patet ex ijs, quæ disputata sunt capite sexto, sequitur modo, vt de satisfactione, & punitione, quam sumerę iudex de reo debet, disputemus.

Quod in foro exteriori sine præsumptione fit, obligat in foro cõsciētiæ.

Baptista plotius legen. §. 41.

Corollariũ. Nau. c. 15. nu. 22. 23.

Admonitio Gabria in fab.

Quomodo iniuriosus à iudice sit puniendus. *Cap.* 45.

PRoemivm, & pęnam duo veluti numina ciuitatis quidam legislatores habenda esse censuerunt. Quo enim, vt de pœna loquamur, non se præcipitabit, ac proijciet impo-

Præmium & pęna in rep. necessaria.

Cicero.

Arnobius

Leges cur latæ.

Plato

Iudex quomodo debeat exequi leges.
Cap. 6.

Prima conc.

Boerius.

Bartol.
Dinus.
Petrus Rau.
Glos.
Secunda conclusio

impotens libido, aut occultatione proposita, aut licentia? Crescit enim, inquit Arnobius, multitudo peccantium, cum redimendi pœnam spes datur: & facile itur ad culpas, cum est venalis ignoscentium gratia. Quare necessarium fuit, vt leges, quæ potissimū ob facinorosos latæ sunt, pœnis quibusdam eos à vitijs coercerent. Nam vera est sententia, quæ falsò Horatio adscribitur.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Has autem leges non aliter iudex exequi debet, vt ait Plato dialogo nono de legibus, quàm pictor, qui pingendo diligenter exemplaria assequitur. Cum igitur ij, qui iniuriam faciunt, vt aliàs diximus, legalem iustitiam violent, ac proinde reos pœnarum se se efficiant, vbi iniuriam accipienti omni ex parte satisfecerint, legibus quoque satisfaciant oportet. Quando autem ad id sint obligati, & quomodo iudices hanc satisfactionem debeant requirere, his sequentibus conclusionibus aperiemus. Prima conclusio. Quacunque facta remissione, aut compensatione ob priuatam iniuriam, adhuc iudex potest agere contra reum, pro pœna de eo sumenda. Est communis doctorum sententia, & traditur speciatim à Boerio rub. mixta de crimine, & culpa nu. 8. Eandem docent Bartol. & Dinus l. 1. §. 1. ff. de iniurijs. Petrus Rauen. singulari 428. Glos. l. Decius ff. ad Sylgian. Secunda conclusio. Nemo est obli-

gatus

gatus soluere pœnam à lege statutam ante iudicis sententiam, sed potest salua religione, expectare sententiam iudicis. Est conclusio ista contra Decium, cap. Canon, de constitut. & Ioannem ferrarium l. quod à quoque ff. de reg. iur. qui contra sentiunt. Nostra autem conclusio est communiter recepta ab omnibus canonistis & nominatim ab Ancarano cap. cum secundum leges de hæreticis lib. 6. Tertia conclusio. Post sententiam latam Iudex habet facultatem exigendi pœnas à Reo. Ratio huius veritatis ea est: quia aliàs lex esset inutilis, & vana, si iudex non haberet hanc potestatem. Conuenienter autem factum est, vniuerse loquendo, ne iudex puniat nocentem, nisi iam lata sententia, vt norint facinorosi iudicem non animaduertere in eos ad libidinem, sed iuxtà leges. Tum etiam quia (vt Aristoteles scripsit) lex iubens non est odiosa. Intelligenda est conclusio, quando sententia est legitimè lata, & non est aliud remedium pro reo. Quarta conclusio. Post latam sententiam si pœna corporis reus damnatus fuerit, non est obligatus illam ex se sumere; secus si esset pecuniaria, vel exilij. Prima pars est nota; quia est contra naturam, vt quis debeat seipsum necare, aut mutilare: altera pars de alijs pœnis late, fusèque probatur ab Alphonso contra Caietanum, quem contradictionis redarguit: quantum ad hanc doctrinam de

Decius.
Io. ferr.
Ancar.
Tertia conc.
Ratio
Iudicis sēnt. cur necessaria.
Arist. 10. eth. c. 9.
Quarta cōc.
Nau. cap. 15 n. 21.
Alphons.
Caiet.

pœna à se sumenda, vel non sumenda. Quinta conclusio. Probabile est, etiam si pœna sit latę sententiæ, non obligare reum in foro interiori, nisi post declaratoriam & executoriam sententiam. Non me latet, contrarium communiter sentire doctores: sed quòd nos asserimus, est magis conforme consuetudini quæ habet, vt auctor est Rebufus, quod nos asserimus. Intelligenda est conclusio quando pena non consistit in pura priuatione, vti est excommunicatio: similiter locum habet, quando lex non dicit, non expectata declaratoria sententia. Item quando non dicit: non posit in conscientia retinere; puta beneficium, vel aliquid aliud. Et denique quando praxis non doceret contrarium. Sed multa hoc loco silentio inuoluo, quæ ad hanc rem planius explicandam possent afferri. Ex his infertur contra Alphonsum à Castro, cuius sententia ab omnibus refellitur, eum qui ipso iure priuatur dominio bonorum suorum, non esse obligatum ante sententiam declaratoriam dare illa bona fisco, si opus est declaratoria sententia. Sexta conclusio: quando est lata sententia, & nulla requiritur declaratio, pœna statim soluenda est: est doctrina satis manifesta. Septima conclusio. Quando is, qui læsus est, non dum remisit actionē iniuriarum, nullus iudex siue inferior, siue supremus debet absoluere reum, aut pœnam relaxare. Ita docet Sotus præter alios libro quinto

Quinta cōc.

Rebufus.

Declaratur conclusio.

Alphonsus

Quando pœna sit soluēda fisco.

Sexta conc.

Septima cō clusio.

Sotus. q. 4. ar. 4.

quinto de iustitia, & iure. Nam iudex debet ius dicere, & studere, vt satisfiat oppressis. Quo fit, vt si reum ante satisfactionem abire permiserit, ipse restituere debeat ei, qui passus est damnum cap. vltimo de iniur. & damno dato: preterquam quod grauissime offendit. Facinoris enim (ait Pacianus) viam monstrat innoxijs qui nocentibus post scelera blanditur. Quid autem oriri possit incommodi, cum iniuriæ grauiores impunitæ à principe relinquuntur, patet ex illustri exẽplo, quod recitatur à Roberto Folieta in elogio Mengoli Lercarij, qui omnes orientis partes turbauit, quòd Imperator iniuriam illi factam impunitam abire permiserit. Octaua conclusio. Vbi actor ab agendo resiliuit, non potest iudex inferior non punire reum, pœna à lege constituta, licèt possit aliquo modo eam minuere. Prima pars huius conclusionis asseritur ab Alphonso, & Soto, & probatur ex Augústino in psal. 75. vbi ait. Iudex non potest nisi secundum leges iudicare d. 4. can. in istis. Aristoteles 5. Eth. c. 6. & 2. pol. c. 8. ait esse periculosum non iudicare secundum leges. D. Thom. 1. 2. q. 95. art. 1. ad 2. & ibi Conradus, melius est secundum legem inanimatam, quàm animatam iudicare. Ad animatam autem idest ad iudicem recurrendum est, cum deficit inanimata, aut consuetudo. Altera pars, quod possit minuere est clara, cum ratione circunstan-

Ratio.
Pacian' lib. de pœnitentia.
Robertus Folieta.
Octaua cõ.
Alphons.
Sotus.
August.
Aristot.
D. Thom.
Conrad.
Conrad.
Secũda pars conclus.

tiarum

Tiraguel. legen. trac. de pœnis. tiarum maior, vel minor pœna sit inferenda. Vbi autem sententiam tulit, vt ait Alphonsus Alphonsus. licèt possit eam temperare, non tamen ei licet in totum remittere. Quando autem non esset certa pœna à lege constituta, potest iudex pro qualitate delicti, mitius cum eo agere iuxta illud Iacobi cap. 2. Superexaltat, Io. Gagne. aut superexultat, vt legendum esse putat Io. Colom. l. p. c. 7. Gagneus, misericordia iudicium. Et summum ius antiqui summam putabant crucem, Noscat igitur iudex, se Dei personam gerere, Paul. Bur. d. s. c. 9. in cuius omnibus operibus iustitia, ac misericordia relucent, vt egregiè Paul. Burg. in Nona conc. suo scrutinio demonstrat. Nona concl. iudex superior, à quo lex est condita, potest relaxare pœnam, cum non est adiudicata per legem actori, Alphonsus. Sotus. Ita docent Alphonsus & Sotus, & comprobant ex cap. Nisi de officio legati. Imò potest incidere casus, vt etiam inuito accusatore, & actore, propter vtilitatē reip. possit nocentem liberare à pœna capitis, vel alia graui pœna, operam dando, vt alio modo actori satisfiat. Vt ecce, si reus esset vir fortis, & posset remp. conseruare, in cuius vtilitatem facinorosi pœna puniuntur. Ita Felinus, Baldus, Angelus, quos citat Alphon- Felin. Bald. Angel Alphons. sus. Decima conclusio. Non debent iudices esse ita faciles in remittendis, & relaxan- Decima cōc. dis pœnis, maximè cum delicta sunt grauiora & remp. perturbant, & ex eorum remissione male communi bono consulitur: sed de-

bent

bent seruare leges; quæ si seruentur, seruatur etiam pax, & concordia, vt patet ex elegia Solonis,& ex illis duobus carminibus alibi allatis,ad quæ adde ex eodem ista duo. Solon.

Sed placidam retinet pacem reuerentia iuris
Peccato quæ non parcere lenta solet.

Nam in primis fit iniuria Deo optimo maximo, cuius personam iudex gerit: cum eius iustitiam non imitatur. Dei enim minister est; ait Paulus; Vindex in iram ei, qui malum egit. A quo tanquam à Deo vindicta petitur. Mihi vindictam, & ego retribuam. Quo loco contra iudices, qui corrupti non rectè iudicant, placet afferre, quæ Iosephus lib. quarto antiquitatum scripsit. Hæc enim iniuria in contumeliam Dei recidit, quasi is infirmior sit habendus, quàm illi quorum potentiæ metu præter ius fertur calculus. Nam Dei potentia est iustitia. Ergo qui in magnatum gratiam præuaricatur, potentiores illos, quàm Deum facit. Secundo fit iniuria toti reip. cuius interest, vt delicta puniantur: & ideo nonnullæ sunt leges, quæ negligentes iudices puniunt l. Nulli C. ne sacrum baptis. l. seruos C. ad legem Iuliam, & apud Athenienses auctore Polluce lib. 8. iurabant iudices, se leges seruaturos. Perturbatur enim publica quies, dum facinorosi impunitatem adepti, iterum ad peccandum conuertuntur. Vnde Calentius.

Qui non iuste iudicat facit iniuriam Deo

Paulus Ro. 13.

Iudex locũ Dei tenet.

Alcuin. ser. de iudicibus

Iosephus hebræus.

Iudex qui non seruat iustitiam iniuriam facit Deo.

Iudex iniustus facit iniuriam reip.

Pollux

Calentius.

Dictio mortales auget monosyllaba curas, vis

Si teneat medium littera prima, leuat. IVS

Volater. Pyth. Et Pythagoras ſcriptum reliquit. Qui non plectunt malos, volunt bonis iniuriam fieri. Fit iniuria reo. Tertio fit iniuria reo, dum impunitus, aut nõ iuſte punitus dimittitur: cum nulla ſit maior Boetius. pœna de Boetij ſententia, quàm impunitum aliquem facinoroſum dimittere: & medicus mitis vulnus exulcerat. Denique iudex ſibi ipſi nocet, non modo quia peccat, ſed etiam quia eius deſpicitur auctoritas, & fruſtra ſe gladium geſtare demonſtrat. Rom. 13. 23.q. 5. non fruſtra. Aug. ep. 54. Non enim ſine cauſa, ait Paulus, gladium portat. Sed quomodo iſta vera ſint ò Paule, his noſtris temporibus, non video. Fruſtra mihi videntur gladij geſtari. Damnantur iniq iudices Non enim ſtringuntur contra nefarios homines: aut ſi ſtringuntur, ſolum crumenas, cum ſint rubigine exeſi, ſecare valent. Parergon cõtra iudices. Dum à ſanguine iuſtè fundendo, abſtinere volunt, ne nimis crudeles eſſe videãtur, ſanguinis iniuſte fuſi plena ſunt omnia. Non audiunt Deum dicentem ijs, qui iniurias acceperunt. Mihi vindictam, & ego retribuam. Gerſon 3. p. tract. ſuper dimitte nobis. Mihi ſcilicet vel meo iudici. Parent tibi, o domine, qui amicos, qui affines, qui fratres, qui filios, qui parentes crudeli Raphael. volat. legen. l. 19. philologię in principio. internecione amiſerunt: tibi relinquunt vindictam, ſed tui iudices non retribuunt. Audis tu quidem domine, & grauiſsimas pœnas minaris illis, qui iuſtitiam, vti deberent, non exercent; ſed ipſi nec te, nec eorũ qui ſitiunt iuſtitiam, voces excipiunt. Hinc eſt, quod

ſæpe

sæpe illi exaudiuntur clamores, Non est in mundo æquitas: pauperes deseruntur: inopes à causa cadunt: omnia auro sunt venalia. Vt verum sit, quod quidam scripsit.

Auro pulsa fides, auro venalia iura, Henricus Mauroy.
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Quamobrem ex dictis colligere licet, quàm grauiter offendāt iudices, qui in facinorosos non animaduertunt, & personas acceptant, Deuter. 16. Pro. 24. quod peccatum longissimè arcendum esse à iudicis sæpe scriptura monet: cuius errati quanta sit grauitas eleganter demonstrat Rabanus lib. 9. in ecclesiasticum cap. 4. Atqui Ecbertus. Serm. 10. vereor ne in multos iudices cadat prouerbiū Rabanus. illud, de quo meminit Ecbertus contra Ca- S. Antioch. hom. 93. tharos. Quem, quem clamat lupus, quidquid dixeris. Sed quoniam de hac re nobis disputare non est propositum: hæc de modo quo iudex debet reum punire pro violatis legibus, in vniuersum dixisse sit satis: cum aūt dixerimus male facere iudices, qui reos non puniunt, de me si quis quæreret, an qui pro nocente apud iudices agunt, offendant, sequēti capite huic dubitationi satisfaciemus.

An liceat pro reo apud iudicem intercedere. Cap. 46.

RECTE eos, qui de officijs præceptiones tradiderūt, virtutes medietates, vi- Virtutes sūt medietates. tia verò superabundantias appellasse, in ep.

D. Hierony. ad Demetriadem Diui Hieronymi docet auctoritas. Quam ob rem in omni vitæ actione illud maximopere homines curare debẽt, si vitio vacare volunt, vt quantum fieri potest, medium inueniant. Sed cum non facile

Arist. 2. Eth.

sit cuique in rebus præsertim obscurioribus illud attingere, & multis modis ab eo declinare contingat, non erit ab re, cum de officio iudicis in puniendis iniuriosis disputatum sit de modo, quo pro eis cum religione intercedere liceat, formulas paucis perscribere. Et antequàm doctrinam per conclusiones afferamus, supponimus, quod docuit D. Augustinus epistola ad Macedonium, defensorem plurimum differre ab intercessore. Nam ille conatur culpas obtegere: hic verò cum de culpa constet, pro pœna lenienda laborat.

August. 54.

Defensor & intercessor plurimũ distant.

De his itaque qui pro minuenda pœna intercedunt, cum de errato constat, nostra doctrina accipienda erit. Ratio autem, qua quis posset existimare non licere prudenti viro, hoc munere fungi, ea esse videtur. Nam si vera sunt, quæ superiori tradidimus capite, non licere iudici præter leges iudicare, nec pœnam remittere. Ergo nec vtique licere videtur apud iudicem agere, rogando, vt efficiat quod facere sine culpa nequit. Esset enim consentire iniquitati. Vt igitur huic dubitationi satisfiat, ita de hac re statuimus.

Ratio dubitandi.

Prima conclusio: intercedere pro reis apud iudicem, vt pœna minuatur, est officium pietatis.

Prima conc.

tatis. Est conclusio D. Augustini epist. 54. quam ipse late probat. Primo, exemplo Dei, qui pluit super iustos, & iniustos, & solem suum facit oriri super bonos, & malos; & Matth. 5. Christus nos ad hoc hortatur. Orate pro ijs, qui vos persequuntur. Secunda ratio, Quia hoc officio viri sancti functi sunt; D. August. ep. 158. 159. orat Marcellinum pro Donatistis, qui nolebant resipiscere, vt mitius illos puniat. Et ep. 160. rogat Apringium, vt mitius se gerat contra Circumcelliones. Secunda conclusio. Ita hoc officio vti licet, vt nulla ratione aut peccatũ placeat, aut malitiæ faueatur. Est doctrina eiusdem Augustini eodem in loco, & quoniã plana est, non est cur probetur. Tertia conclusio. Nemo debet apud iudicem intercedere, vt homini scelerato tota remittatur pœna. Hanc conclusionem probat ea ratio, quæ paulo ante allata est. Quia non licet rogare, vt iudex faciat quod facere non potest. Sed iudex, vt dictum est, non potest omnino pœnam remittere; periret enim legum auctoritas. Quare nec rogare totam vt remittat pœnam licebit. Adde etiam auctoritatem Augustini epistolis supra citatis, qui nunquam intercessit pro tota pœna relaxanda, sed pro mitiganda. Quòd si interdum Augustinus interponit verbum, impunitum; intelligendus est hoc modo; quod crimen lenius punitum, impunitum videtur. Quarta conclusio,

Aug. ep. 54. 23. q. 5. Non est iniquitatis

Prima ratio

Secunda rõ.

Secũda cõc.

August.

Tertia conc.

August.

Declarantur loca Aug.

Quarta cõc.

Si ille qui offensus fuit, ex mera caritate petere à iudice, vt tota pęna remitteretur, idq́; faceret vt ostenderet se nullo odio laborare, vel vt ille erubescat, cum videat carbones ignis in caput suum congeri, non peccaret.
August. Hanc doctrinam tradit Augustinus ep. 158.
Ratio. 159. Ratio est, quia ex se, suaque natura hic intercedendi modus non intendit, vt reus impunitus abeat, quasi editum scelus placeat, sed vt bonitate, & facilitate intercessoris victus reus ad perfectam quandam se se conuertat pęnitentiam, ac erratum vehementius detestetur suum. Et denique eò spectat, vt illud Domini consilium impleatur. Diligite inimicos vestros, & benefacite illis. Quin-
Quinta cōc. ta conclusio. Quando speraretur emendatio rei, potest quis, salua religione, apud iudicem pro eo agere, vt mitius puniretur, maximè cum pœna esset atrocior, qualis est pœ-
Aug. ep. 54. na mortis. Cōpellimur (ait Augustinus) humani generis caritate interuenire pro reis, ne istam vitā sic finiant per suppliciū, ne ea fini-
Mores non possunt corrigi nisi in hac vita. ta, non possit finire supplicium. Et morum corrigendorum nullus est alius, quàm in hac vita locus. Ratio huius conclusionis est, quia vt superius scripsimus, potest iudex iusta de causa pœnas minuere l. Quid ergo §. pœna grauior ff. de his qui notantur infamia. Ergò mihi licebit ab eo postulare quod ipse li-
Admonitio cite facere potest. Quo loco aduertendum est; non semper esse obligatum iudicem ad re-

remittendam pœnam, etiam si quis pro reo iustè intercedat. Quoniam Iudex, & orator habent diuersos fines, & diuersa spectant, & ita quod vni licebit, alteri interdum nefas erit. Nam intercessor spectat vtilitatem proximi: iudex verò bonum reip. quod fortasse labefactari posset, si mitius facinorosus castigaretur. Orator autem eo animo efflagitat, quia sperat fore, vt reus corrigatur, & melior euadat. Sed obijciat quis l. quisq; cũ militibus. C. ad leg. Iuliã Maiestatis; q̃ auctoritas citatur à Grat. c. si quis 6. q. 1. vbi prohibetur, ne quis intercedat pro vita alterius, & qui id faciunt notantur infamia. Respondet Alphonsus, hanc legem habere vim in foro exteriori, nõ autem in foro interiori, quia Imperator non potest prohibere opera pietatis. Vel dic secundo; locum habere in grauioribus criminibus, de quibus ibi sermo ab Imperatore habetur. Si rursus vrgeas. Deus Hierem. 7. præcepit prophetæ, ne oraret pro peccatoribus. Tu ergo noli orare, & c. Respondetur primo; non prohibere simpliciter ne oret, sed solum admonet, ne oret; quia oratio non erat profutura. Adde secundo, ideo præcepit ne oraret, quoniam sciebat Deus fore, vt populus obstinatus permaneret. Quare ne rogando videretur non impetrasse, monuit, ne oraret; ita hoc loco docuit Hieronymus. Sexta conclusio. Quando reus esset obstinatus in peccato, & nulla prorsus

Iudex, & intercessor habent diuersos fines.

Dubitatio

Gratianus

Alphonsus à Castro.
Resolutio.
Imperator nõ põt prohibere opera pietatis.

Dubitatio
Hierem.

Responsio

D. Hieron.
Sexta conc.

sus emendatio speraretur, etiam si pœna mortis plectendus esset, non liceret orare pro illo. Hanc conclusionem probat auctoritas Augustini, qui locis citatis ait, solum licere intercedere, quando speratur emendatio. Huc facit auctoritas Hieronymi in commentarijs in ep. ad Philemonem. Accedit secundo, quia non liceret iudici huic parcere. Ergo neque alijs pro eo intercedere. Propterea relapsis non parcitur amplius quod non speretur emendatio. Postremò videntur ij, qui pro istis orant, non conuenire cum volútate diuina, & propterea errare. Nouimus enim Deum nolle ignoscere ei, qui non se emendat. Vltima conclusio. Non licet pro reo intercedere, quando inde promanaret dánum proximo. Verbi causa: si pœna esset adiudicata proximo. Nam non licet exhibere opera pietatis cum detrimento alterius, vt epistola ad Romanos capite tertio ait Apostolus. Idem epistola 54. docet Augustinus. His igitur conclusionibus huic capiti satisfactum sit. Sed quoniam non rarò dubitari solet: an liceat agere contra offendentem, vt pęna ob perpetratum scelus à iudice puniatur, quid de hac re sentiendum sit, sequenti capite explanare curabimus.

August.

Hieron.

d. 56. c. Fraternitatis.

Septima cõclusio.

Roman. 3.

August.

Quomodo

Quomodo affectus poßit in iudicio agere contra afficientem. *Cap.* 47.

ET si virtutes omnes suam habeant speciem, qua hominum animos ad se alliciunt: nulla tñ æque ac iustitiæ forma, quippe quæ quidquid splendoris in alijs virtutibus est, complectitur, nos commouere solet. Hinc nascitur, vt homines, cum iustitia in alijs sese conspiciendam præbet, vehementer eam ament, & à nulla alterius vitij turpitudine perinde atque ab iniustitiæ deformitate oculos auertant. Ea verò quæ in nobis exercenda est iustitia, cum se aduersam, videndam non præbeat, non solet oculos nostros admodum afficere. Ex quo nascitur illud; alios impunitos sui sceleris abire nõ facile homines pati; se verò impunitos dimitti perlibenter sustinere. Ne quis igitur zelo iustitiæ, quando ex iure cum inimico agere vult, aliquid contra iustitiam, & caritatem peccet, regulas de modo, quo offendentem in iudicio offenso vexare liceat, præscribendas esse existimaui, quas sequentibus conclusionibus complectar. Prima conclusio; agere in iudicio contra nocentem, & iniurium, ex se non est malum, & Christianis quoque licet. Hæc veritas est contra errorem tertium, quem capite decimo sexto recensuimus; & est certa fide tenenda. Pro hac conclusione primò faciunt sexcentæ auctoritates, quæ

Iustitiæ laus & pstantia.

Homines alios puniri volunt se verò nolunt.

Prima conc.

Prima ratio.

Deut. paſsim in ſcriptura reperiuntur: & in veteri lege non vno in loco præſcribuntur à Deo formulæ iudiciorum; & voluit certos eſſe iudices, qui omnem cauſam præfinirent: quæ
Matth. 5. iudicia à ſaluatore Matthei quinto non damnantur, imò approbantur: & D. Paulus ad
Actuū c. 13. Cæſarem appellauit. Et ad Romanos capi-
Rom. 13. te 13. ait, iudices inſtitutos eſſe à Deo, & nō geſtare gladium fruſtra. Et cum in re manifeſtiſsima verſemur, nolo particulatim varijs ſcripturę auctoritatibus cōtrariam vrgere ſententiam. Accedant innumeræ epiſtolę, decretales ſummorum, & antiquorū Pontificum, quæ formam iudiciorum tradunt.
Euariſtus Id conſtat primo ex epiſtola ſecunda Euari-
Alexander ſti, & ex decretalibus Alexandri primi, & epi
Iginius ſtola prima Iginij, qui pulcherrime locum D. Pauli, 1. ad Cor. cap. 6. tractat. Idem
Zepherinus docet Victor epiſtola prima, Zepherinus epi
Fabianus ſtola ad omnes epiſcopos Sicilienſes: Fabianus epiſtola tertia ad Hilarium. Et denique multi alij Pontifices ſuis decretis hanc veri-
Secūda cōc. tatem demonſtrant. Secunda concluſio. Vindicatio iuridica vt bona ſit, debet habere pro fine vtilitatem publicam, & proximi emēdationem, ac omni odio vacare. Hanc veritatem in multis epiſtolis citatis expreſſam inuenies, quam etiam eleganter tradidit D.
Auguſt. Auguſtinus libro primo de ſermone domi-
Vidicta quo modo accipienda. ni; 23. q. 4. can. ea vindicta. Ea, inquit, voluntate vindicet, qua pater filium paruulū fla-

flagellat: quem tamen per ætatem non potest odisse. Et Carthusianus opusculo de vitæ militari capite quinto. Quare si nullum supplicium in lege factum, vt ait Plato, ad malú tendit; sed vel ad correctionem errantis, vel ad deterrendum alios à scelere; qui agit ad vindictam per leges sumendam, à fine legum declinare non debet. Quod si actor in aliquem leuem, & repentinum affectum, qui rationi consentaneus non sit, labatur, non statim grauioris culpæ, vt D. Thomas, Syluester, & Didacus adnotarunt, culpandus erit. Tertia conclusio. Iniuria affectus, posito odio, potest repetere sine culpa omnem satisfactionem honoris, & accepti damni. Est doctrina communis, & per se manifestissima, & nulla probatione eget. Esset tamen optimum consilium, ni aliquid obstaret, condonare omnia, ac pacatè viuere. Lites enim & maxime iniuriarum, quantum fieri potest, vitare Christiani deberent. Quarta conclusio. Si reus extra iudicium vellet ex bono, & æquo actori satisfacere, non deberet offensus, illum in ius vocare. Ita Syluester, & Tabiena monere videntur. Et certè id caritatis ratio poscere videtur, vt si sine contentione quis valeat, quod sibi debetur recuperare, à petitione contentiosa debeat abstinere. Amici, inquit Aristoteles, reconciliari malunt, quàm accusare. Hic enim videtur modus purus, & naturalis instaurandi detrimētum

Carthus.

Plato dia. 9. de leg. ī sub. principio.

Admonitio

D. Tho 2 2. q. 108. ar. 1. Syl. v. accus. § 5. Didac. l. 2. var. res. c. 10 Tertia coc.

Ludouicus vives legen dus lib. 4. de concor.

Quarta coc.

Sylu. Tabien.

Arist. 1. rhe. cap. 12.

tum per iniuriam acceptum, à quo qui sine causa recederet, certe à ratione deflecteret. Denique id sine scandalo fieri nequiret, cum nulla subsit ratio vexandi in iudicio fratrem.

Quinta cōc.

Quinta conclusio. Si quis pœnitentia ductus in periculo mortis, odium quo erga inimicum laborabat, effudisset, non propterea visus esset dimittere actiones, quas contra reum habebat, & ita si conualesceret, posset contra eum agere. Hanc conclusionem tradunt multi iuris periti, & nominatim Angelus Aretinus, Nicasius, Ioannes de Platea §. finali, institutionibus de iniurijs. Hippolytus de Marsilijs, Bartolus, Baldus, & alij.

Angelus
Nicasius
Io. de Plat.
Bart.
Bald.

Sexta conc.

Sexta conclusio. Nemo potest, salua caritate, ita seuerè agere contra reum in iudicio, vt velit ad vnguem sine vlla remissione secundũ rigorem iustitiæ, & quacunque ratione eum sibi satisfacere, & pœnas luere. Fuit enim, vt Columella scripsit, summum ius semper summa iniustitia iudicatum. Quare non video, quomodo salua caritate quis posit proximum non omnino facinorosum tàm grauiter diuexare. Et seruus ille, qui conseruum suum suffocabat, fuit à domino acerbe castigatus.

Columella.
Summa iustitia summa iniuria.

Septima cō clusio.

Septima conclusio. Interdum non liceret agere contra reum in iudicio, vt pœnas iuxta leges debitas lueret. Est doctrina Syluestri, & Tabienæ in ver. caritas. Tunc autem non liceret, aiunt hi doctores, quando inde oriretur præponderans scandalum,

Syuester
Tabiena

&

& maius detrimentum animæ, & corporis. Scandalum enim semper fugiendum est, cum absque eo aliquid effici, etiam si aliàs sit licitum, non potest; vt constat ex capite cum ex iniuncto de noui operis enunciatione: super qua re legendus est Couaruuias relectione in regulam peccatum. Restat hic grauis quædam dubitatio, quam libenter silẽtio inuolue rem; ni timerem fore, vt multi eius solutionẽ à me requirant. Dubitatio huiusmodi est. An qui fuit iniuria affectus possit facta pace, & acceptis satisfactionibus, quærelam quam fecerat prosequi, vt reus debitas det secundum leges pœnas: aut si non dum illam fecerat, facere. Quam dubitationem doctores non admodũ distincte, & explicite tradũt; cum non desint qui de ea disputent, & maxime ex iuris vtriusque consultis: inter quos aliqui negant id licere, vt Bartolus l. prima §. vsque adeo ff. de iureiurando. Verùm aliqui dicunt hos doctores intelligendos esse, quando fuit facta plenissima remissio, quantum ad omnes actiones, & quærelas. Tunc enim causa iudici integra relicta esse videtur. Hanc sententiam cum limitatione allata sequuntur Hippolytus de Marsilijs. Singulari 246. Romanus l. 2. ff. ad Sylæianum, Felinus cap. inter quatuor de maioritate, & obedientia. Aliqui verò sentiunt licere; & quidam testantur de communi sententia. Ita sentit Iason, Alexander, & Glossa cap. prelatis

Scandalum fugiendum est.

Cauar. p. 1. nu. 4.

Dubitatio quædam.

Prima sñã. Bartolus.

Hippolytus

Romanus

Felinus

Secũda opinio.

Iason

Alex.

Gloss.

latis de homicidio libro sexto verb. emendam. Verùm non omnes clare distinguunt inter querelam satisfactionis, & querelam punitionis, de qua est dubitatio. Posset fauere huic sententiæ caput prælatis de homicidio lib. 6. cap. quoniam de immunitate ecclesiarũ lib. 6. & cap. vt famæ de sententia excõmunicationis. Confirmat hanc opinionem ea ratio, qua vtitur Porcius §. finali instit. de iniurijs. Quia aliàs non posset vir bonus agere contra reum ad punitionem ob vtilitatem publicam, ad deterrendos alios à scelere, & vt homo facinorosus punitus resipiscat, ne dum in iniquitate perseuerat, quotidie magis ac magis lumine rationis priuetur. Obscurat (ait Faustus episcopus Regiensis) atque obruit intellectum assiduitas delinquendi. Et si alij possunt, dicet aliquis, requirere pœnas per iudicem ab homine iniquo; cur nõ item qui offensus est? Adderet quispiam; si Deus reconcilata gratia, & iniuria condonata, nos iuste punit, vt ex scriptura patet; cur etiam homo ad imitationem Dei non poterit pœnam per leges reposcere? poterit certè aliquis hanc opinionem cogitatione à culpa separare, si intelliget, pacem ex se non includere nisi reconciliationem animorum, & dimissi odij signum, quo reus tutus redditur ab omni iniusta offensione, qua potuisset affectus eum lædere. Quo posito, poterit quis concipere, iustitiam cum caritate non pugnare

Porcius.

Faustus lib. instit. ad monachos.

2. Reg. 12.

Pacis natura

gnare

gnare. Ex quibus inferre licet contra Follerium non esse ex se contra caritatem, velle prosequi querelam in iudicio, cum id in vtilitatem publicam interdum cadere possit. Constat etiam, vt Bartolus, & Couaruuias adnotarunt, non statim posse damnari eos, qui eucharistiam sumunt, & tamen contra iniuriosos homines in iudicio agunt. Quamuis autem hęc posterior sententia simpliciter considerata nihil absurdi habeat; tamen quã periculosa sit, & ab vsu reijcienda sequenti capite demonstrare conabimur. Neq; enim de sententia Apostoli omnia, quæ licent expediunt; è quorum numero esse arbitror, velle inimicum, facta pace, in iudicio diuexare. Nec quis se iustitiæ prætextu obtegat. Bartolus. Couaru.

Fallit enim vitium specie virtutis, & vmbra. Iuuẽ. sat. 14.

Esset etiam multum à ratione pacis diuersum, si quis iam pace facta, vellet, cũ id prius non fecisset, nocentem apud iudicem deferre; aut pacem cum hac lege facere, vt ea facta debeat reconciliatum inimicum in iudiciali foro offensus vrgere. Nam si is casus incideret, vt omnino pro communi bono, & reip. vtilitate expediret eum puniri, potius esset à pace exteriori abstinendum, vt aliàs diximus, & sequenti capite etiam demonstrabimus.

Quam

Quam difficile sit sine errore, nocentem in iudicio persequi. Cap. 48.

Aug. ep. 54. CVM facile, ac procliue sit, de Diui Augustini sententia, malos odisse, quia mali sunt: rarum autem, & pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt, vt in vno simul & culpam improbes, & naturam approbes; ac propterea culpam odisse, quia naturam fędat; hinc est vt difficile, ac rarum sit inuenire, qui dimisso odio, & condonata omni satisfactione reo, ex sola caritate, aut solo iustitiæ amore excitatus, velit eundem dare pœnas, vt culpam quam odit, emendet. Quamobrem licèt id fieri posse aliqui existiment: tamen quàm periculosum sit hoc efficere, pręsenti capite demonstrare conabimur, proquare hanc conclusionem statuo.

Conc. Conciliata amicitia, seu debita præstita, aut oblata satisfactione, agere contra reum, vt à iudice puniatur difficile factu est, & raro, & vix benefieri potest. Hanc veritatem probabo, varias afferendo rationes, quæ hoc factu difficile esse demonstrant.

Prima ratio Et prima quidem ratio desumitur ex doctrina seruatoris nostri, qui tanquam sapientia infinita optime noscens naturam nostram in malum propensam, & ad nocendum nocẽti pronam, sępe hortatus est nos ad hanc perfectionem, vt omnes, & omni ex parte iniurias dimittamus, & nullam vindicationem etiam iustã, de inimico sumamus.

Si quis percusserit in maxilla prębe ei alterã. Matth. 5.
Ecce, quam nolit vindictam sumi, qui ceden ti alteram, alteram maxillam præbere docet. Benefacite his qui oderunt vos. Nescio, quantum benefaciat inimico, non omnino facinoroso, is qui non est admodum perfectus, & omni ex parte religiosus, dum vt ad vnguẽ pœnas errati, cuius iam pœnituit, luat, apud iudicem vehementer contendit. Non video, quomodo fratrem suum non suffocet, quod Christus damnat. Nec intelligo qua ratione iste congreget carbones ignis in caput fratris; quod fieri debere monet Apostolus. Paulus
Quem locum sic exponit Cæsareus: caput, inquit, in homine est ratio, quæ à feruore caritatis recedens, facta est frigida: cum cognoscet beneficentiam tuam incipiet calescere. Cæsareus Arer. eps.
Orat fortasse pro persequentibus dum summis precibus à iudice contendit, vt eum capite damnet: aut omnibus fortunis multet? Abundatne magis istius iustitia, quàm illa Iudæorum, quibus dictum est. Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum? Leu. 19.
Et in precationis formula, cum multas petitiones nos docuisset Christus, nullam aliam declarauit, nisi illam. Sicuti & nos dimittimus. Et per D. Iacobum minatur, Iudicium sine misericordia ei, qui nõ fecerit misericordiam. Iacobi c. 2.
Et illum, qui suffocabat fratrem, iussit dominus mitti in tenebras exteriores. Confirmat hanc nostram conclusio-

Anacleti. clusionem auctoritas quædam illustris Anacleti Pontificis, qui fuit tertius à Petro ep. 1.

6. q. p. cap. si omnia. circa medium, vbi ita scribit. Si omnia in hoc sæculo vindicata, seu iudicata, vt alij legunt, essent; locum diuina iudicia non haberent. Superuacuis enim ad beneficia laborat impendijs, qui solem certat facibus adiuuare. Ideo si aliquis putat se Deo in hoc placere

Locus mendosus. (corrupte apud Gratianum legitur, placare) quod seruos suos accusat, & vt meliores fiant, dicit, se hoc facere; in vanum laborat, & plus inuidiæ stimulis agitatur, quàm caritatis; & illi primi pontifices solebant passim Christianos ab accusatione suis epistolis

D. Leo de pœnitentia d. 5 can qualitas. reuocare. Facit etiã huc doctrina D. Leonis primi ep. 90. ad Rufinum, vbi docet negociationẽ esse periculosam, & penitenti vtilius esse dispendia pati, quàm periculis negociationis adstringi, quia difficile est inter ementis, & vendentis commercium, non interuenire peccatum. Quid dixisset de commercio inter accusatorem, & accusatum in hac proposita materia? Quamobrem licet ex his haud obscure colligere, perdifficile esse sine pecca-

Alia ratio. to hanc querelam prosequi. Neque habet parum momenti ratio illa, quæ à scandalo de-

Aristot. 10. Eth. cap. 1. ducitur. Nam vix potest fieri sine scandalo pusillorum, qui nesciunt ita distinguere ea quæ sunt, & intercedunt in iniuria, & semper arbitrabuntur, non esse dimissum odium, cum vident quempiam inimicum apud

iudi-

iudicē vexare. In qua sententia eo confirmari poterunt, quod videant passim offensos post recōciliationem omnem querelam obliuione delere. Et licèt hoc scandalum esset acceptum: adhuc tamen à pio, & religioso viro erit vitandum. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum (aiebat Paulus) ne fratrem meum scandelizem. Et Eleazarus à carne, quæ vetitæ carni similis erat, ne scandalizaret, se continuit. Quare cum pusilli non habeant scientiam, qua distinguant (vulgus enim non distinguit) cauendum est, ne propter nimiam scientiam infirmus frater, pro quo seruator vitam profundere non dubitauit, perdatur. Timendum igitur illud est. Væ homini illi, per quem scandalum venit. Præterea vt paulo ante indicauimus, vix reperies, qui accepta aliqua satisfactione à reo, non cesset ab omni querela; & quod restat integrum iudici non relinquat; vt si quis sine euidentissima, & vrgenti causa, vlterius vrgere ac diuexare fratrem velit, plenus odij, & maleuolentiæ, & crudelitatis merito habeatur. Quomodo is vincet in bono malum, dum ardentius pœnas reposcit de eo, cum quo pacificatus est? quem pœnitentem sui erroris videt: si emēdationem speras, quam sperare debes, ab eo qui ad te supplex accessit, & satisfactionem dedit; cur pœnas reposcis? Da te ad lenitatem, sine iudicem agere partes suas. Esto

Paul. pr. cor. 8.

Arist. 10. eth.

Alia ratio.

animo pacato, & quieto; quæ summa est in hac vita felicitas, intus nihil obstrepere.

Sed comprime motus,

Claudian. *Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit*

Alia ratio. *Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.*

Iam verò non ne ob lites, & controuersias forenses criminum seges succrescere consueuit? Amplius, quis non videt verissimum esse, quod Aristoteles scripsit, punire delectabile esse? Quis delectationem non capiet, dum inimicum diuexat, & exagitat? quæ delectatio vix appetitione vltionis vacabit. Et in illud prorumpet.

l. 1. C. de iudicis. Alia ratio. Aristot. l. 1. Rhe. c. 11.

Iuuenalis sat. 13. *At vindicta bonum vita iucundius ipsa.*

Aut in illud.

Ouid. l. 1. eleg. *Ah, tu ne dubita, minuet vindicta dolorem.*

Alia ratio. Deniq; accusare reū, & maxime cū resipuit, & tibi satisfecit, aut accusationē ante pacitionē factam prosequi ad extorquendā è manibus iudicis punitionē nocentis, est quoddā officium sordidum, & ingenuo, ac liberaliter educato homine indignum; cum nulla subest ad id faciendum grauissima causa, qđ synodus quædam Romana apud Gratianum affirmat, dum accusationem vocat illaudabile genus intentionis; quia præsumitur, vt ait Glossa, quod inuidiæ causa fiat. Aiebat Musonius: actionem iniuriarum neque contra aliquem se acturum, neque id vlli philosophiæ vacanti consulturum. Quamuis autem ista vera sint: tamen inficias non irem, posse

Syno. Rom. Gratian. 2. q. 7. can. si quis. Glossa. Muson.

virum

virum bonum,& religioſum amore ſolius iuſtitiæ,vel ob aliquam grauem cauſam contra peſsimum aliquem hominem agere in iudicio, vt debitis pœnis afficiatur; & cenſendũ eſſet,talem hominem candido animo id facere? Alijs verò qui quotidie peccant, & parũ pij ſunt,non facile permitterem,vt hãc actionem proſequerentur, cum vix bene ab ipſis id fieri queat: & ſi ceſſare nollent, non viderẽtur digni,qui abſoluerẽtur. Sed quid agendum ſit,ſi caſus incidat, prudentis confeſſarij iudicio videndum relinquo. Ratio autem quæ ſuadet,vt id viro valde pio concedamus, eſt: quoniam hæc actio de ſua natura non eſt mala,& recte exerceri poteſt: ſi quis tanta caritate deflagret,vt ſolum per punitionem, maiorem reip. aut proximi vtilitatem ſpectet. Efficitur primo ex dictis, debere confeſſarios quantum poſſunt, hortari pœnitentes, qui habẽt aliquam accuſationem contra inimicos, vt illam deſerant,ad quod faciẽdum poterunt vti rationibus ſuperius poſitis,& inferius afferendis. Colligitur pręterea, debere eſſe cautos in abſoluendis illis, qui nolunt deſiſtere ab accuſando, cum hoc genus actionis non ſatis bene ſine caritate,& pietate non vulgari exerceri poſsit: qua in re diligenter conſiderent rei,& actoris perſonas. Poſtremo manat ex dictis,quòd licèt vera eſſet opinio, quæ perſecutionem actionis admittit,ac poſſe interdum offenſum pu-

Quando qs agere poſsit contra reũ facta iã pacificatione.

Admonitio pro confeſſariis.

Cap. vlti.

Alia admonitio.

Admonitio notanda.

nitionem rei, dimiſſo odio quærere: tamen iſta doctrina non eſſet propalanda populo, & ijs qui odio laborant, ne dum viderent ex vna parte ſibi aliquo modo licere reum vrgere; ex altera, dum id agere conarentur, facillime peccarent. Sed quoniam interdum non modo datur facultas per leges agendi in foro contra reum; ſed etiam proſequi eum licet extra iudicium; puta cum datur poteſtas per aliquod ſtatutum occidendi exules, an hoc ſtatutum ſit licitum, & quomodo quis poſsit illos ſine peccato occidere, operæprecium eſſe duxi hoc loco docere. Et ſi illud quiſpiam (quod ad rem noſtram maxime facit) à nobis requireret, an in duello agere contra inimicum liceat, paucis de hac re etiam ſequenti capite diſputabimus.

Paraſceue.

Quando liceat occidere inimicum exulem, & de iniquitate duelli. *Cap.* 49.

CVM non rarò contingat, vt ij qui alijs iniuriam intulerunt, non modo non reſipiſcant, & ad meliorem frugem per pœnitentiam redeant, ſed peſte ſint peiores peſſima, & millies plura mala faciant quàm beſtia: quæri à quibuſdam ſolet, an cum facti fuerint per exilium reip. hoſtes, auctoritate alicuius legis non modo impunè, ſed etiã ſine peccato occidere, aut ad ſingulare certamen vocare liceat; ad quas dubitationes reſpon-

Ariſt.

respondentes sic statuimus. Prima conc. Priuata persona potest exulē occidere, stante aliquo publico decreto hoc concedente. Ratio vnica pro hac conclusione, eaq; firmissima est; quia per hāc constitutionem cō ceditur facultas puniendi reum à rep. quæ reos punire potest, & ita priuata ꝑsona qua si minister iustitiæ. Vt autem decretum hoc iustum sit, sunt aliquæ conditiones necessariæ. Prima conditio, quam assignant Hostien. & Felinus cap. fin. de consuet: vt causa, ob quam reus à patria pulsus est, sit morte digna. Secunda vt decretum sit factum in vtilitatem publicam, quæ puniendis criminibus spectanda est. Propterea aliqui damnant senense decretum, quo datur facultas consanguineis occisi, vt exulem occisorem prosequantur, cum hoc videatur factum esse ad priuatam commoditatem, vt vlciscantur iniuriam. Panormitanus autem non omninò damnat, cum etiam hoc decretū habere pro fine possit publicam vtilitatem. Solent enim hac ratione facilius punire reip. hostes, cum ij, qui occisum affinitate attingunt, in hac re diligentiores sint. Tertia conditio ex Soto, vt non possint occidi, nisi post sententiam latam, nisi fortasse esset publicus inuasor reipub. & principis; quia tunc posset occidi etiam non lata sententia. Quarta adsit etiā necessitas oportet: hoc est vt alio pacto, & æque bene non possit publicæ vtilitati pro-

Prima conc. Clarus legen. §. de homic.

Ratio.

Quas conditiones statutum de occidendo exule debet habere.

Hostienf.

Felin.

P. cond.

Secūda cōd.

Iason.

De decreto senensi.

Panor.

Tertia con

Sotus.

Lib. 5. de iust. q. 1. ar.

Quarta con

uideri. Et hæ ſunt conditiones quæ requiruntur ad iuſtitiam decreti. Secunda conc. ſtante iuſto decreto, vt quis exulem occidat ſine peccato, ſũt aliqua neceſſaria. Primo debet is qui occidit, moueri ſolo zelo iuſtitiæ, non ex odio, au ſpe lucri. Secundo debet cognoſcere illum, quem occidit eſſe verè exulem; & eum quem occidere decretum permittit. Tertio ex Iaſone; Felino; & Syl. debet occidere intra diœceſim loci illius, in quo viget lex illa: nec licet intra terminos illum violentia trahere vt ibi occidatur. Quarto quando ſuperiores permitterent illũ impunè diuerſari in ciuitate, aut vicinis locis (vt ait Ananias) non liceret interficere. Addit quinto Felinus non decere filium occidere parentem, auctoritate huius decreti propter pietatem, & ſingulare officium, quo filij parentes proſequi debent. Quo ad aliam dubitationem reſpondentes, ponimus hanc primam concluſionem. Duellum prohibitum eſt, lege diuina, ciuili, & eccleſiaſtica. De lege diuina, patet. Matth. 5. Luc. 4. Prouer. 20. ad Rom. 12. ad Heb. 12. pr. Io. 2. 3. pr. Petri 3. De iure canonico cap. 1. de torniamentis. Et in conc. Trident. ſeſ. 25. cap. 19. vbi hæc contra duellum ſtatuuntur. Primo omnes principes quocunq; nomine appellentur, qui locum in terris ſuis ad monomachiam cõceſſerint inter chriſtianos, eo ipſo ſũt excõmunicati: Et ſi ſint principes, qui habue-

Secũda cõc. Cõditiones requiſitæ ex parte occidentis. Prima cõd. Secunda

Tertia Iaſon. Fel. Syl. Quarta

Ananias. Felinus.

Duellũ prohibitum.

Lege diu.

Iure canon.

Quæ in can. Trid. ſtatuatur contra Duellum.

habuerint locum illum ab ecclesia, dominio priuantur, & si loca sint feudalia, directis dominis acquiruntur. Secundo pugnantes, & eorum patrini excommunicationis & bonorum omnium proscriptionis, & perpetuæ infamiæ pœnam incurrunt, & vt homicidæ puniendi sunt. Tertio qui in ipso cõflictu decesserint perpetuò ecclesiastica careant sepultura. Quarto qui consilium dant in causa duelli; aut quacunq; alia ratione, ad id quemq; suadent; nec non spectatores excommunicantur, Iure ciuili damnatur l. vnica c. de gladiatoribus. lib. 11. Quamuis hic locus non omnino ad rem faciat, licèt eo ad hoc probandum omnes vtantur. Secunda cõclusio. Singulare certamen permittere non expedit reip. Primo quia nulla resp. bene instituta, talem legem habuit vnquam, imò Legis latores semper constituerunt iudices, ad quos homines tanquam ad regulam confugere deberent. Confirmatur ex eo, quod neq; latini, neq; græci, vt multi qui de duello scripserunt affirmant, talem consuetudinem habuerunt, vt pro honore recuperando aut veritate inuenienda, hanc pugnam pugnauerint. Fuit autem introductum à gente barbara, scilicet à Longobardis, & non nisi certis de causis. Et Aliprandus eorum Rex in quadam sua lege, duelli legem impiã appellauit. Et deniq; vt optime scripsit Ioa. Baptista Gyraldus, hæc consuetudo contra

Iure ciuili.

Nõ expedit reip. permittere singulare certamẽ.

Ioan. Bapt. Gyral. l. 1. Mutius. Susius.

Aliprandus.

Ioan. Bapt. Gyral.

felicitatem reip. contra religionē, contra leges, contra parentes,& amicos est interdu-cta. Et cum raræ sint causæ, ob quas ad duellum deueniendum est, vt etiam ipsi, qui à duello sunt fatentur, non ne expediret reip. prohibere talem pugnam, etiam si aliàs licita esset; cum ex hoc genere pugnæ dissensiones, iniustitiæ, perturbationes, faudes, impensæ, & difficultates, quibus tota perturbatur resp. proficiscantur? Adde prætcrea, nullam esse necessitatem huius certaminis; & propterea nō erit introducendum. Quod nulla sit necessitas, sic constat. Aut iniuria est nota, aut ignota: si est nota, iam non licet propria auctoritate vlcisci, ni volumus remp. euertere; sed confugiendum est ad legem viuam, hoc est ad iudicem, ne quis sit iudex in propria causa, qui si dabit operam, vt honor tibi restituatur, bene erit: sin minus, cum tu feceris, quod in te erat, pro eo recuperando non debes censeri amplius inhonoratus: quia iam satis constare poterit, te iniuste fuisse læsum. Eundum esse ad iudicem propter iniuriam acceptam, Plato, & Aristoteles apertè docuerunt. Si verò iniuria non est nota, non est opus duello; vel quia non erit læsus honor; vel si aliqua ex parte est lęsus, erit potius ferenda illa parua læsio, quàm duello perturbanda resp. pro cuius pace debet honestus eques vitam exponere. Deinde cum quis fecerit, quod in se est, vt

Nulla est necessitas duelli.

Iudex lex viua. 5. eth.

Plat. in Gor.

Ferrandus regula. 4.

vt conuenienti ratione honorem recuperet, si id non cadat, non est obligatus ad aliquid amplius etiam de sententia eorum, qui pro duello pugnant. Sequatur itaq; tunc fortis eques fortem Achillem, qui hunc in modũ Phœnicem est allocutus. Alia ratio

Ant.Ber. I.

Phœnix venerande senex diuine, non mihi huius opus honoris. Cogito autem honorari Iouis iudicio. Hom.ill.9.

Deniq; aut nocens fatetur se iniuriam fecisse, & tunc cogendus erit ad restituẽdum honorem per iudices, aut negat, & hoc ipso honor erit instauratus. Tertia cõc. Duellũ ex sua natura est illicitum. Est conclusio contra Paridem à Puteo, & alios, qui defendunt duellum tanquam licitum secundũ legem naturæ, contra quos piè, & doctè scripsit Ioannes Baptista Susius. Prima ratio pro hac veritate sic conficitur. Duellum, vt qui ab ipso stant fatentur, vel est ad veritatem indagandam, vt aliqui volunt, vel ad honorem recuperandũ vt alijs placet. Sed ob has causa non est licitum: Igitur reijciendum erit. Quod non sit aptum ad inueniendam veritatem, in hunc modum demonstratur. Fortitudo nullo modo est apta ad manifestandam veritatem occultam; sed solum testimonium humanum, & ratio ipsa. Quare temere, & inconsideratè adhibetur pugna, cuius exitus est in manu fortunæ, & à casu pendet, vt omnes, qui sapiunt fatentur. Quis non videt dementis esse

Vltima ratio

Tertia con.

Paris à Put.

Susius.
Prima ratio

Duellum nõ est aptum ad inuenien dam veritatem.

Fortitudo nõ est apta ad veritatẽ probandam.

Veritas quomodo probanda.

Veritas non exponenda fortunæ.

se veritatē fortunæ exponere? cū constet p innumera exempla, quæ à Susio Vrrea, & aliis recitantur, Eos qui pro se veritatē habebāt, in monomachiā victos fuisse. Nec attendēda sunt verba illa, quæ à milite glorioso dicūtur.

Ludouicus Ariftus.

E mia ragion dirà la scimitarra,
E faremo il giuditio nella sbarra.
En gladius pro me strictus ius ipse loquetur,
Et litem nostram ista discutiemus arena.

Duellū non est aptū ad recuperandū honorē.

Quod autem non sit licita hæc pugna ad honorem instaurandum, hoc modo probatur. Hęc defensio est prohibita legę naturæ. Ergo qui hac ratione voluerit honorem resarcire, erit iniustus; cum omnis qui contra legē naturæ agit, sit iniustus. At per actionē iniustā tantū abest, vt honor recuperetur, vt certissime amittatur. Esse hanc pugnam contra legem naturę, ex eo constat; quia natura solam concedit propulsationem: at ista est offensio & vindicta priuata, quam natura refugit. Quare hoc non erit remedium oportunum ad existimationem recuperandam. Et licèt quis concederet, non facere iniuriam ei qui læsit, dum repercutit, aut ad certamen vocat singulare; tamē semper fit iniuria reip. & legibus, quæ hanc pugnam prohibent.

Qui lędit inimicum facit iniuriā reip.

Alia ratio.

Deinde nemo est qui ignoret, homines priuatos nō habere dominium in alios homines. Ergo nullus potest priuata auctoritate illum à quo læsus fuerat punire, aut ad monomachiam prouocare. Adde ad confirmandam

Homo priuatus no habet dominiū in alios

nostram

nostrã cõclusionẽ Aristotelis auctoritatem, qui primo rhetorices, capite duodecimo nõ longe ab extremo, cum dixisset iniuriam solere fieri ijs, qui aliis iniuriam faciũt, rationem huius rei reddens, ita scribit. Nam id nõ videtur, ferè iniuria, cum tale quid perpessus quispiam sit, quale ipse est solitus facere. Ecce, non dicit: non esse iniuriam, sed ferè non esse iniuriã, cum videatur quædam æquitas, dum par pari redditur. Et paulo infra. Nam & voluptatẽ, & laudem habet (intellige iuxta communem vulgi opinionem) nec ferè iniuria esse videtur. Erit ergo iniuria, sed non videtur. Quare iure optimo sacrosancta Synodus Tridentina ait; Duellorum vsum, fabricante diabolo, fuisse introductum. Sed quoniam non est mihi animus fusius hac de re disserendi, reijcio lectores ad Susium Vream, & alios auctores, qui pro hac veritate disputarunt. Nos aliqua ex dictis colligentes, huic capiti, & parti finem imponemus. Primo nascitur ex dictis, non esse concedendum duellũ tanquã minus malum, cum ex eo plura oriantur mala, quàm si prohibeatur: & cum non sit rationi consentaneum in plura mala impingere, vt pauciora cuitentur, duellum reijciendum erit. Conficitur secundo, falsum esse, monomachiam contineri sub bello, cũ bellũ secundũ religionem christianam sit licitum, singulare verò certamen nequaquam, quidquid dicat Antonius Ber-

Arist. locus declaratus.

Conc. Trid. Duelli vsus diaboli inuentum.

Ioan. de Lignano. Iacobus de Castilio. Alciatus

Duellũ est cõcedendũ tanquã minus malum.

Duellũ non continetur sub bello. Origenes dial. de recta in Deũ fide.

Bernardus, quem ſatis bene refellit Suſius. Tertio conſtat, per hoc genus pugnæ nō modo non recuperari honorem, & famam, ſed honorem amitti, & infamiam contrahi.

Per duellū non recuperatur honor Conrad.

Quarto euidenter apparet, inepte, & pueriliter prorſus à quibuſdam dici, hanc ſingularem pugnam eſſe actum quendam nobilem, & egregium, & non debere exerceri niſi ab honorato equite, aut honeſto loco natis. Hos egregie carpit Suſius, aitq; iſtos rem inhoneſtam, & turpem hac fucata ſpecie honeſtare voluiſſe. Quamuis autem hæc, quæ à nobis diſputata ſunt, vera ſint: tamen vel ob ignorantiam à noſtris militibus non percipientur; vel ſi percipientur ob animi impotentiam non ſeruabuntur. Verùm ſi tanti honorem faciunt, ſi tantum exiſtimationis deſiderium eos tenet, ignorantiam excutiant neceſſe eſt, quia vt ait Philo epiſcopus in cantica, vbi ignorantia, ibi dedecus, & ignominia: nec non etiam contra animi perturbationes pugnent oportet, vt de ſe victoriam referant, cum is, qui à ſeipſo vincitur, inglorius exiſtat. Quod ſi hic impotentes, & inepti milites exclament.

Suſius l. 2. reſp. vlt.

Philo epiſc.

At vindicta bonum, vita iucundius ipſa.

Ego quoq; cum eodem poeta exclamabo.

Nempe hoc indocti.

Quod ſi poetæ, & doctorum hominum auctoritas eos non commouet, moueat ſaltem glorioſiſsimi, & inuictiſsimi Imperatoris ſē-

tentia.

tentia. Alexander magnus, vt diuus Maximus refert, interrogatus quis esset rex optimus; respondit. Qui inimicos beneficijs ambit, & reconciliat. Alij imbeciles, & effeminati dixissent; qui prouocat ad singularem pugnam, qui trucidat, qui dilaniat, qui discerpit. Quid hic dicent nostri equites? qui nihil veram & solidam virtutem gustantes contra verę militię, & equestris ordinis decreta agunt, ac prorsus imprudenter viuunt, & ineptè loquuntur; præsertim dum sententiam irrident eorum, qui rationem, & religionem eos debere sequi, persuadere conantur: Vt hic exclamare liceat. S.Maximus. Rex optimus quis.

O curuæ in terris animæ, & cœlestium inanes. Pers. sat. 2.

Sed quoniam hac de re in sequenti parte, vbi de tollerantia, & remissione iniuriarum, & dilectione inimicorum agetur latius disputabitur, modum huic secundæ parti, in qua fusè de rebus propositis disseruimus, imponentes, tertiam partem tractare ingrediamur.

Iniuriã perpeti, non esse ex se vituperatione dignum, Cap. 50.

INTER alia incommoda, quę ex vnius primi parentis offensione in posteros dominarunt; illa sanè duo grauia, ac perniciosa illis acciderunt: quorum alterum est; quod tenebris ignorantiæ offusi, quid honestum, quid turpe, quid verum, quid falsum sit, cernere; Quæ mala humana nõ ex priuato primi parentis contraxerit.

nere; aut ſi quid recte perceptum fuerit, ani mi viribus debilitati illud perficere, quod al terum eſt incommodum, non facile queant. Quamuis autem ob acceptam plagam læſa, ac debilitata noſtra natura eſſet: adhuc tamẽ tantum momenti in ratione, ac libertate remanſerat, vt per innata virtutum ſemina aliquid internoſcere, & efficere poſſet, niſi malis moribus, opinionibusque deprauatis, ſemina illa obruerentur. Statim enim atque ad eam ætatem peruentum eſt, qua ſapere incipimus, ab ipſis etiam parentibus, & nutrici bus, perditis, profligatisque viuendi rationi bus imbuimur; quã rem & Cicero & Quin tilianus ſapienter & vituperant, & deplorãt. Qua autem id ratione fiat, elegãter Auerroes in ſua paraphraſi in librum de rep. Platonis demonſtrauit. Accedit poſtea quaſi quidam magnus, & magnam doctrinã præſeferens, magiſter mundus, hoc eſt ad omnia conſentiens multitudo, & tunc planè opinionum peruerſitate, & corruptelis inficimur, ac ita paruuli naturæ igniculi reſtringuntur, vt nuſquàm lumen naturæ appareat. Licet enim oriens è cœlo nobis in tenebris, & vmbra mortis ſedentibus illuxerit; ac verus magiſter nobis aduenerit, & ſcholam veritatis ape ruerit, in qua & per ſe, ſuosque doctores veram doctrinam profitetur: tamen tùm ob na turæ vitium, tùm ob hauſtam corruptelam à ſchola mundi, in qua ſunt omnia errorum ple

Cicero. Cicero. Quintil. Auerroes. Zachar. in cant.

na,

na, vulgi nefaria voce pręprediti non deſciſcimus, & in Christi ſcholam cum tamen Christianos nos eſſe profitemur, non facile ingredimur. Inter alia autem pernicioſiſsima decreta, quæ mundus fixa, ac rata in ſua ſchola habet; illud omnino mordicus defendit, ac ſuis auditoribus continenter inculcat, eum ignominiæ labe aſpergi, qui ab alio patienter iniuriam accipit, & acceptam grauiter non vlciſcitur. Contrà verus inſtitutor Christus ſuos docet, & hæc duo præſtantiſsima decreta perfectæ, & abſolutæ philoſophiæ, ſcilicet iniuriam patienti animo accipientes non eſſe inglorios, & acceptam condonantes non effeminate ſe gerere decernit. Quam doctrinam ſi ij, qui Christi ſcholam ſe ingreſſos eſſe arbitrantur, acri mentis aſpectu intuerentur, eius pulchritudine capti, nullum hic nobis diſputandi præberent locum. Sed quando fucata ſpecie mundanæ doctrinæ eorum cæcutientes oculi nimis afficiútur, perſonatam falſitatem detegentes, ad amorem candidæ ac ſimplicis veritatis eos traducere conabimur. Eas autem ad id efficiendum rationes adhibebimus, quæ ſunt à natura petitæ; vt cum falsò humana, & Deo inimica ſapientia hæc Christi dogmata cum natura pugnare ſibi perſuadeat; nos contrà omnino cum natura congruere demonſtremus. Vt autem quod intendimus, facilius aſſequamur, aliqua quaſi fundamenta prius ponenda ſunt. Primo,

Duos errores vulgi pernicioſiſſimi

Nihil malū præter culpam. mo, illud in confesso esse debet apud homines omnes, nullum esse verè, & propriè malum præter culpam, eamque omnino esse fugiendam, quod etiam ethnici solo luminis naturæ ductu cognouerunt.

Cicero. Nihil, ait Cicero, vt cæteros omittam, est magnum malum præter culpam. Vt enim maxime proprium est homini cum ratione viuere: ita nihil magis hominem dedecet, quàm à ratione discedere; cum qua qui viuere noluerit, tanquam bellua agrestis extra humanum cœtum eijciendus est.

Mutius lib. pr. resp. Rationis encomium. Est nanque ratio, magistra vitæ, domi, militiæ in domesticis, publicisque rebus. Hæc indicit iustum bellum, hæc pacificationem conciliat, hæc fidem seruat hosti: hæc oratores reddit immunes: hæc non permittit milites ab Imperatore desciscere; hæc denique vbi pessima consuetudo monomachiæ fuit introducta, leges illi præscribit, & ne quid contra iustitiam fiat, prohibet. Quid est igitur, cur iusti, & honorati equites rationem sequi nolint; cum sine ea armorum tractatio nequeat consistere?

Mutius l. 3. c. 13. Pono secundò, quod etiam superius adnotauimus, nihil magis honesto equiti conuenire quàm iustitiam tueri, cuius rei causa arma tractanda suscepit.

Mutius. Quare pro honore tuendo, & ignominia arcenda, quam tantopere (sed nihil minus ait Mutius) refugiunt, nunquam arma contra iustitiam sumere debent:

Thucidides Arma à quibus inuenta quæ arma licèt (vt Thucidides scripsit) à barbaris sint inuecta:

inuecta: nihil tamen est tam barbarum, quã eadem iniuste tractare. Quam ob rem sapienter illud mihi visus est finxisse Plato; Mercurium demissum fuisse à Ioue ad homines, vt singulis verecundiam, & iustitiam ad consortionem humanam retinẽdam impertiret. Ponimus postremo loco, virum fortem, & magnanimum, cuius virtus singularis, ac illustris esse debet, nulla ratione debere pendere ab opinione vulgi, corruptaque consuetudine. Nam si præ alijs conspectus videri desiderat, corruptam, & stultam ignorantium hominum viuendi rationem fugiat necesse est, cum in ea nihil præclarum, nihil magnificum conspiciatur. His iactis fundamentis ita de re proposita decernimus. Illatas iniurias tolerãter ferre, ex se suaq; natura non est turpe, aut vituperatione dignum. Nec vereor hoc loco exibilatus explodi, q̃a apud sapiẽtes viros, ne hæc veritas cũ honore excipiatur, nihil vereor: quid dixi, excipiatur? imò semper excepta fuit. Et primò si naturã iniuriæ dispiciamus; q̃d quęso culpę ex accepta iniuria cõtrahit iniuria affectus? Iniuria enim, vt breui dicã, nihil aliud est, quàm offensio contra ius accepta: & iniuria affectus est iniuriose acceptus. Nulla hìc turpitudinis, nulla erroris mẽtio intercedit; nihil culpę, nihil labis exauditur, si eum spectes, qui iniuriã accipit. Cur igitur sugillatur? cur honore spoliatur? is, qui potius commiseratione complectendus

Plato.

Viri fortis munus.

Illatam iniuriam æquo animo ferre est laudabile.

Prima ratio.

Mutius

Susius lib. 2. resp. ad 3 & 4. Arg. Poss.

erat,& si patiēter tulit summis laudibus exornandus? Adde secundo loco, communē omnium hominum sententiam. Nemo ferè est, qui non sentiat, ac dicat, infamiam esse eius qui infert, nō eius qui accepit iniuriam. Sicuti de honore quoque dicitur esse eius, qui exhibet; non eius, cui exhibetur. Quid igitur causæ est, vt contra consensionem ab omnibus approbatam, iniuriam perpessum erroris labe aspergere quisquam velit? Quod si dicas: vulgus contrarium sentit, & ita potius contraria opinio erit pro vera habenda. Sed hoc nihil est. Tùm quia vulgus non comprehendit omnes homines: tùm quia est communis vulgi error, quem sequi non debemus. Quanta autem circa honorem, & iniurias vulgus peccet, Cosmus Aldana in libro contra errata vulgi docet. Adde tertio, Quis non videt, modò oculis captus non sit, quodnam onus ceruicibus hominum imponatur ab ijs, qui volunt, iniuriam perpessos esse infames, dum volunt in cuiusuis manu esse, vt ad libidinem posit virum conspicuum, & fama celebrem, inglorium, & famosum quauis iniuria efficere. Volunt tanti boni possessionem, cuiusmodi est fama, in alieno arbitrio ponere; cū honoris acquisitio, & conseruatio, & recuperatio in sola actione secundum virtutem sita sint. At dices, dum te non honorat, aut iniuriam infert, ostendit te vacare virtute. Sed

Secunda ratio: Mut. lib. 4. resp. 7.
Arist. 1. eth.
Obiectio.
Confutatio
Cosmus Aldana Hispanus
Tertia ratio
Obiectio.
Confutatio

dicas;

dicas obſecro, nũquid virtutẽ amitto, qua ſola poſsidetur, & acquiritur vera fama, dũ ille non exiſtimat, me ſtudioſum eſſe. Aut vi eum compellere debeo, vt externa ſignificatione velit oſtendere me in virtute eſſe? Deinde ſi quis me inique in media platea arundine cedat, aut mihi colaphum infringat; quam ego, dum tolleranter me gero, virtutem lædo? quod perpetro facinus, cum victoriam de me qua nulla maior eſt, refero? Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Pro. 16. Bap. Mant.

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Oppida, nec virtus altius ire poteſt.

Quod ſi ex ſola culpa, vt eſt certiſsima omnium ſententia, vera contrahitur ignominia, dum iniuriam patior, nulla me vera infuſcabit infamia. Hanc rationem ad hanc rem comprobãdam adhibuit Muſeus, dum dixit. Muſeus. Pati iniuriam non eſſe turpe, quia peccatum non admittit: idqne exemplo Socratis probauit. Et Ariſtotelis quinto ethico capite vltimo, hoc modo hac de re ſcribit. Ariſt. Iniuria affici, ſine vitio, & iniuſtitia eſt. Et Menander, eum virum optimum inter mortales eſſe iudicauit, qui ferre iniuriam poſſet. Menander Facit etiam huc illud effatum, quod eſt in ore omnium. Præſtare iniuriam perpeti, quàm facere. Melius pati iniuriam quẽ facere Menander Cur igitur tantopere in honore habentur, & in ſinu fouentur, qui veluti gladiatores quidam, & ſicarij quotidie alijs iniuriã

riam pati appeteret: non quod iniuriam pati sit aliqua culpa; sed quia non solent homines pœnam desiderare, cum aliquid incommodi afferat. Ad hanc veritatem confirmandam facit etiam illud. Condonare iniuriam acceptam licet: licebit quoque eam ferre. Nam si quis peccaret ferendo, offenderet etiam condonando. Ex his intelligi licet, posse nos concedere, & in quo sensu concedendum sit, iniuriam pati, esse quoddam malum, scilicet malum pœnæ, & damni. Denique dum quis toleranter iniuriam fert, vincit se ipsum, & de se victoriam præstantissimam refert, & exercet actionem magnanimitatis egregiam, vt inferius demonstrabitur. Quare si cum ratione, & debito modo id fiat, non erit reprehensione dignum. Potest tamen incidere casus, in quo melius esset propulsare iniuriam, quando scilicet id ad aliorum maiorem vtilitatem cōferret; & tunc si quis non propulsaret, peccare posset, vt patet ex his quæ de defensione & fama superius disputauimus. Illud hoc loco aduertendum est, iniurias, quæ fiunt Deo, quantum in nobis est, non esse ferendas, vt Albertus Carthusianus: & plerique scriptores admonuerunt. Quo fit, vt neque illam ferre debeamus, quæ nos infideles, & non veros cultores Dei esse demonstrat. Ita nos seruatoris exemplum docet; qui semper patris honorem defendit: & cum Samaritanus appellabatur, aut

Aristot.

Alia ratio.

Arist. 5. Eth.

Albert. Cart.

dæmonem habere dicebatur, iniuriam negā do refellebat. Verùm cum facile hominibus persuaderi poſsit, vt dum iniuria infertur tolleranter ſe gerant, cum id prꝗſtare, perfectæ virtutis ſit: iam acceptam condonare, quod facilius factu eſt, illuſtre, & laude dignum eſſe demonſtremus.

Condonare iniurias, eſſe excelſi, & inuicti animi. *Cap.* 51.

Mundi vera vxor. Mundi pellex. Mundi filii & filiæ.

AMICITIAM pulſam eſſe è terris à marito ſuo mundo, atq; pellicem ſuam inimicitiam matrimonio ſibi copulaſſe, ex eaq; filios occiſorem, inſidiatorem; filias verò improbitatem, pugnam, iram ſuſcepiſſe, elegantiſsimo carmine Gyrus deſcripſit Promus. Spes tamen eſſe aliqua eam è cœlo in terram reuocandi, niſi ad omnia mundus τῆς δυλίδος μωρίας ξυνεργία ideſt ſeruæ ſtultitiæ opera vteretur. Quamobrem, niſi conſultricem hanc peſsimam ſibi ſemper affixam à ſe repellat mundus, vt amicitia ad homines reuocetur, & pellex inimicitia è terris exterminetur, nullo fieri modo poterit. Tunc autē ad id faciendum traduci mundus poterit, ſi contra doctrinam magiſtræ ſuæ, nihil prꝗſtantius eſſe, quàm illatas iniurias æquo animo perpeti, & acceptas perpetua obliuione abolere perſuaſum habuerit: quorum alterum ſuperiori capite perſuadere conati

Gyrus. Promus.

Mundi ſerua.

nati ſumus: alterum nunc perſuadere nitemur. Neq; hoc loco diſtinctione vlla vtar, de vera aut non vera, propria aut impropria iniuria, ſed in vniuerſum demonſtrabo hanc veritatem de omni iniuriarum genere. Prima ratio, ad id quod volumus perſuadendũ, ſumatur ex ea communi omniũ ſapientũ ſententia, quæ cõſtanter, ac verè affirmat, nullã eſſe maiorem, & illuſtriorem victoriã, quàm illam, qua quis ſeipſum vincit. De hac victoria Plato dialogo primo de legibus ita ſcribit. Prima, & optima victoria eſt, vt quis ſeipſum vincat. Et quamuis aliqui non tantum Platoni, quãtum Ariſtoteli tribuant: tamen eius doctrinam valde accedere ad noſtrã doctrinam chriſtianam, & patres quam plurimi teſtantur, & Beſſario quanti facienda ſit platonica doctrina, eleganter demonſtrauit. Et quid mirum? ſi vt Euſebius Cæſarienſis refert, Plato atticè loquẽs, profert moſaica. Et recens Franciſcus. Vierius in compendio doctrinæ Platonis, dogmata Platonicorum conuenire in multis cum religione noſtra, late demonſtrat. Et vt auctorem afferamus chriſtianum. Vir eruditiſsimus & maxima pietate ornatus Ioannes Gerſon hãc ſententiã ſermone quodã corã Papa Benedicto valde commendat. Hæc, inquit, eſt victoria Chriſtiana, iniurias, & iras non iniuriis, & ira; ſed manſuetudine, & miſericordia vincere, & imitari eũ, qui etiã in cruce poſitus dixit.

Prima ratio

Victoria prima vincere ſeipſum.

Plato.

Beſſario.

Euſeb. Cæſar. l. 11. præpat. c. 6.

Franciſcus. Vierius.

Gerſon

Chriſtiana victoria.

ipſum vicisti. Hanc veritatem pulcherrimo mimo illuſtrauit Publianus.

Ingenuitas non recipit contumeliam.

Et Martinus Dumenſis Epiſcopus libro de quatuor virtutibus; qui liber falsò Senecæ adſcribitur; ſi magnanimus fueris ait, nunq̃; iudicabis tibi contumeliam fieri. Et paulo infra. Genus magnum vindictæ eſt ignoſcere. Ariſtoteles cum de magnanimo diſputat, docet magnanimi eſſe, in vnaquaq; virtute eſſe magnum. Quare ad eum pertinebit ſuperare magnos animi motus, ex quibus vnus eſt ira, & appetitio vindictæ. Et item; Nihil ſibi magnum videtur neq; odij tenax. Non ergo magnanimi eſt, refricare memoria iniurias, ſed paruipendere. Et libello de virtutibus. Magnanimi eſt ferre honorẽ, & contumeliam: item ἀδικεῖσθαι δυνάμενος, καὶ οὐ τιμωρητικός. hoc eſt, qui poteſt iniuriã ſuſtinere, & non vlciſci. Diogenes epiſtola ad Cratem Thebanum. Herculei animi elatio omni optima fortuna præſtantior. Conficiatur ergo alia ratio ad probandum quod volumus, tum ex allatis, tum ex afferendis auctoritatibus. Arianus libro tertio. Perfecti officij eſſe docet non vlciſci, aut vindicare iniurias. Si perfectum officium eſt, profectò vituperari non debet. Malo, aiebat ille apud Terentium, non proſpicere, quàm vlciſci, accepta iniuria. Et alibi. Reipſa reperi, facilitate nihil eſſe homini melius, neq; cle-

Martinus Dumenſis Epiſcopus.

Ariſt. 4. Eth. cap. 8.

Magnanimi partes.

Diogenes.

Alia ratio.

Arianus

Terent. in Eun. Adelph.

Seneca clementia. Seneca ait, clementiam esse virtutem Rege, & principe maxime dignam, & maximi animi esse offensas spernere, & despicere: & humili loco nati esse, exercere manum, litigare, & in iram prouocare, atq; morem gerere. Io. Monacu. Alexander magnus, vt in eius vita Ioannes Monachus refert, regium esse aiebat benemerentē insimulationes sustinere. Antisthenes Et Antisthenes, cum ei relatum esset quempiam ei maledicere; regium est inquit, cum benefeceris male audire. Imò, vt sapiēnter scripsit Cardanus, Cardanus. qui bene facit illis, qui eum prosequuntur, similis est Deo, qui tot maledicentes, impios, sacrilegos conseruat, alit, fouet, & tota die miseretur, & commodat, & pluuit super iustos, & iniustos. Plutarchus. Et Plutarchus cum de eo, qui in inimicum beneuolus est, sermonem haberet, dixit. Quisquis non amplectitur beneuolentiam, quisquis non laudat benignitatem, is nimirum cor habet adamantinum, aut ferro excussum. Isidorus 5. 2.c.21. Isidorus libro de summo bono. Magna est virtus, si non lædis eum, à quo læsus es. Franciscus Petrarcha Franciscus Petrarcha de vtraq; fortuna. Nobilissimum vindictæ genus est parcere. Pittacus. Pittacus interrogatus, cur iniuriam dimitteret; respondit: συγγνώμη, τιμωρίας ἄμινον. hoc est. Venia, vltione melior. Hermanus. Hermanus Schotennius libro de honesta vita docens, quomodo nos gerere debeamus erga inimicos, prȩstat inquit, illatam iniuriam igno-

ignoſcere, quàm talionem reddere. Addit: vltio eſt inditium parui, & puſilli animi. Vt meritò cecinerit Naſo. Ouidius.

Quo quisq; eſt maior, magis eſt placabilis irę;
Et faciles motus mens generoſa capit.

Diuus Irenæus libro ſecundo contra hęreſes, cum dixiſſet inimicos diligendos eſſe ex iuſsione diuina, addidit, eos qui male inimicos tractant, eſſe, μικροθύμους. hoc eſt, exigui animi. Nec eſt cur illi, qui proni ſunt ad vindictam, laconicum illud in medium afferant: veterem ferendo iniuriam, irritari nouam; & pariter illud, de prędа Myſiorum: quia nihil video, quod magis hominem reuerentia, & obſeruatione dignum efficiat, quã ſi pro viro conſtanti, forti, pio, & religioſo habitus fuerit. Clementia enim, & animi temperatio, & caritas, & æquitas Principẽ & quemuis alium magis gratioſum, & amabilem, ac reuerentia dignum efficiunt, quàm crudelitas, & imperium: vt non male quidam dixerit.

Iren. c. 57. D. Dorotheus. legendus. ſer. octauo. qui eſt de obliuione iniuriarum. Laconicum dictum. Claudius ſeſſellius lib. de reſp. Michael Verinus.

Iuſtitia, & charitas dilecti pricipis arces.

Et Pelercus Lacedæmonius fratri quærenti, cur non ita à ciuibus vt ipſe, coleretur; reſpondit: quia iniurias pati neſciret. Illud obſeruandum inquit Cardanus; quicunq; viri magnam potentiam, aut auctoritatem deſiderarunt, vltionem ſemper contẽpſerunt. Quod ſi quis ita eſſet ferinis moribus imbutus, vt alicuius manſuetudine, & clementia abu-

Cardanus. Alia reſponſio.

hanc rem, quam hic docemus, exemplis quibusdam, quæ indoctiores magis, quàm rationes afficere solent, confirmare. Habet enim vt Aristoteles tradidit, suos neruos, ac vires oratio, quæ exemplis fidem facere conatur. Exempla autem potius ab ethnicorum gestis, quàm à Christianorum patientia depromentur; tùm vt melius perditam nostrorum hominum viuendi rationem redarguamus; tùm etiam, vt quod respondere possint, minus constantes, & fortes non habere demonstremus. Et quamuis magna exemplorũ Sylua se se mihi offerat: tamen illustriora quædam ex melioribus scriptoribus decerpam. Et vt à singulari patientiæ exemplo exordiamur; Pericles Atheniensis, alioqui princeps, vt est apud Sabellium, integrum diem publicum conuiciatorem patienter tulit: cumq; domum venisset, conuersus ad seruum, inquit. Hunc ciuem, domum reducito. Quid hìc fecissent fracti, & molles equites, qui quibuscunq; minimis transuerberantur verbulis; quippe qui vitrei sunt? necassent. Philippus Macedonũ Rex vt, Baptista Fulgosius refert, cum ei relatum esset, eum à Nicanore criminari, cumque suaderent amici, vt in illum animaduerteret, dixit. Nicanorem esse virum bonum esse sibi persuasum; cumque pauperem esse nosceret, dono ei pecuniam misit. Licurgus, Rufus refert, orbatus à ciue altero oculorum, accepit illum à

Arist. 1. rhe.

Sabel. l. 9. cap. 1.

Bapt. Fulg. l. 5. tit. de Clem.

Rufus.

populo, vt quouis modo eum puniret, quod non fecit: ſed inſtructum bonis moribus in theatrum produxit. Lacedęmonijs admirantibus, dixit. Quem iniurium accepi à vobis, frugi reddo. Quidam alij deglubuiſſent, dilaceraſſent, contriuiſſent. Phocion Atheniensis, Ælianus ſcribit, cum multa præclarè gesſiſſet, inuidia damnatus ad mortem, rogātibus amicis quid præcepti filio reliquiſſet; inquit, ne huius iniuriæ memor, malum pro malo Athenienſibus redderet. Antagoras poeta, vt idem auctor ſcribit, Arceſilaum Academicum probris inſectabatur; ille, vbi plures homines ſtare videbat, eò adibat, atq; cum ipſis colloquebatur, vt hac ratione conuiciator apud plurimos ſibi ipſi turpitudinē imponeret. Simile eſt illud Cratis, qui pugno percuſſus nomen Nicodromi percuſſoris ſuper plagam poſuit, & per vrbem vagabatur, vt oſtenderet, maiorem eſſe inferentis culpam, quàm accipientis dedecus; imò illuſtre eſſe iniuriam tolleranter ferre. L. Murena Catonem, à quo paulo ante ambitus accuſatus fuerat, ne in ſeditione occideretur, ſuo cum periculo toga protexit. Romani omnes Syllam iniquiſsimum, & immaniſsimum, à quo non modo tota reſpublica detrimenta maxima, ſed etiam ſinguli graues iniurias acceperant, paſsi ſunt, cum dictaturam depoſuiſſet, impunem, & illæſum viuere, & nullus eſt inuētus, qui eum offenderit, à quo om-

AElian. l. 12

AElian. lib. 14.

omnes pessimè tractati fuerant. Diogenes colapho accepto, nihil aliud dixit, nisi hoc. Nesciebam, quãdo mihi cum galea domo sit prodeundum. Pisistratus, vt est apud Franciscum Philelphum, cuius filiam Thrasibulus amore concitatus inter eundũ suauiatus fuerat, vxori ad vltionem irritanti, respondit. Si qui nos amant, mea vxor, oderimus; quid ijs faciemus, quibus odio sumus? Idem cum conuicijs, maledictisque à quodam esset affectus, ijs, qui eum ad vindictam inflammare nitebantur, ait. Quæso quiescite. Nam ego illi homini non magis succenseo, quàm si quis obligatis oculis in me occurrisset. Vespasianus Imperator Vitellio, qui fratrem eius occiderat, & filium occidere curauerat, filiam magna cum dote nuptui dedit. Titus clementiam patris imitatus, conuocatis duobus patritij ordinis, qui imperium affectabant, secum cenare iussit, & interim nuncios ad eorum matres misit, ne de filijs dubitantes se se occiderent, die postero in theatro assidere sibi vtrunque iussit. Marcus Cato cum à quodam in balneo imprudenter percussus esset, irritantibus ad vltionem, respondit. Ego non memini me percussum. Alphonsus II. Rex Castiliæ, vt vnum ex nostris afferamus, Maurum quendam, qui ceu Scæuola necaturus eum venerat, captum nouis vestibus amictum, donata pecunia, multis contra dicentibus remisit. Denique Cæsar Augustus,

Diogenis patientia

Franciscus Philelphus lib. 4.

Vespasianus Imperator.

Titus.

M. Cato.

Alphonsus Rex Castiliæ

Eutropius Lege Cardanum.

giosos Christianos, vt in hoc vnum patientię & clementię exemplum mentis aciem defigant, cum ad iniurias patienti animo perferendas, & libenter condonandas volunt excitari. Enimuero, inquit Tritemius, quisquis exemplo regis cœlorum patientiam, & humilitatem non amplectitur, nullius imitatione hominis ad mansuetudinem reuocatur. Quis enim non commoueatur ad lenitatem, & clementiam, dum videt filium Dei, per quem pater fecit omnia, Regem Regum, dominum dominantium, qui non fecit peccatũ in cuius ore non est inuentus dolus, colaphis cæsum, sputis fœdatum, contumelijs derisum, verberibus contusum, cruci affixum ab ijs, ad quos seruandos venerat, quos summis beneficijs affecerat, tanquam agnum coram tondente tacentem, & pro cruci affigentibus orantem? Deinceps illud commouere Christianos debet, quod sciant proprium esse Dei misereri, & parcere, cuius rei causas legere poteris apud Franciscum Georgium. Quare dicere possumus, cum Ludouico Viues. Cum nihil crebrius, vel libentius Deus faciat, quàm ignoscere, quis tam demens, est, qui negare posit, illud esse pulcherrimũ, quo tam propè ascendimus ad naturam prępotentis Dei? Quis ergo tam impudens, tam demens est, qui tot egregios, & illustres viros vituperare audeat, & tanquam effeminatos damnare? Aut quis tam impius, qui

Tritemius ser. 18. de patientia
Locus legẽdus Christi exemplum.

Franc. Georgius sectione 3. problemat.
Ludouicus Viues

Dei, & Christi imitatores effeminatè se gere re; dicere audeat? Imò vt religiosè scripsit

Anton. Poss. Antonius posseuinus, hoc nomen Christianus deberet sufficere ad quascunq; iniurias perferēdas, & condonandas. Christiani igitur suū Imperatorem imitentur Christū; quia, vt

Isychius l. 5. in Leuit. Isychius scripsit, nihil magis potest à peccatis corrigere, quàm imitatio Christi. Et no

Theophidi. stra religio, vt Theophidius ait, propterea vocabulum trahit à Christo, vt Christianus semper habeat in memoria, quomodo tantæ dignitatis custodiatur gloria, ne dissonum videatur in opere, quod sonat in nomine. Contra eos, qui nolunt iniurias condonare, legen

Eligius Eps dus est Eligius Episcopus homelia octaua, vbi inter alia ad id persuadendum hæc habet. Si verò incomparabiliter plus peccasti tu Deo, quàm in te peccauerit homo; quare iubente domino, non dimittis parum, vt tibi dominus dignetur dimittere multum. Cum grandi timore consideranda est illa terribilis, & metuenda Dei nostri sententia, quam seruus ille crudelis audire metuit. Serue nequam omne debitum dimisi tibi &c. ferātur itaq; iniurię à viro forti, contēnant à magnanimo, remittant Christiano. Si quis aūt his q̄ diximus persuasus, velit iniurias dimittere, & modum, quo id religiosè, & pie facere possit q̄rat, legat Gersonē in expositione sup dimit

Gerson p. 2. te. Licèt ergo ex his quæ dicta sunt, constet illustre esse iniurias dimittere; tamen cum

hoc

hoc arduum esse videatur, iterũ sequenti capite quædam afferre curabimus, quę per mouere valeant ad iniurias æquo animo tollerandas, & ad deterrendos homines ab iniuria, & vindicta facienda.

Turpe esse iniuriam facere, & cur ab ea, & à vindicta abstinendum sit. Cap. 53.

TANTA, ac talis est peccati turpitudo, & obscœnitas; vt ab eo, tanquam à facie colubri, de sacrorum oraculorum sententia fugere debeamus. Verùm partim, quod oculi nostri in hac rerum caligine non satis visa discernunt: partim, quod sub fucata virtutis forma serpens se se de more videndum præbet; nisi ipsius artes retegantur, non facile ab eius ementita forma oculos auertimus. Et licèt iniuriæ & vindictæ deformitas satis aperta, & manifesta sit, vt quæ possit longe a se oculorum aspectum auertere: tamen cum vsus contra doceat, non erit sine fructu, quã turpia sint hæc vitia paucis exponere, vt eorum turpitudine cognita, nemo sit qui iniuriam, & vindictam amet. Ad hæc igitur vitia fugienda, ea in primis ratio nos excitare, & compellere deberet, quod fieri nequaquã possit, vt quis alterum lædat, quin seipsum offendat; aut iniuriã vlciscatur, quin in seipsum prius iniuriosus sit. Nam dũ quis occidere procurat inimicum, prius spiritum necat; dum lacerare famã alterius quis studet, prius

Peccati turpitudo cur à nobis nõ cognoscatur.

Prima ratio

animam lacerat suam: dum alium famosum coram hominibus conatur reddere, se infamem, & inglorium apud Deum, & omnes

D. Antoninus.

sanctos reddit: Et est similis illi, vt ait Antoninus, qui ex eo, quod quis ei tunicam scidit, ipse se gladio confodit. Nullus, inquit

Aristoymus

Aristoymus, qui à lupo iniuriam accipit, lupus fit, vt remordeat. Sic enim scribit. ὀυδεῖς ἀδικηθεῖς ὑπὸ λόκου, λύκος γίνεται. Et

Hesiodus

Hesiodus, apud Patritium lib. 6. de regno titulo 10.

Franciscus Patritius.

--- *Ipse sibi nocet is, qui lædere quærit.*

Theophrastus.

Et Theophrastus. Qui inimicum suo cum malo lędit, dat potius pœnas, quàm ille. Qua

Maximus Tyrius.

re accidet ei, quod Maximus Tyrius elegãter scripsit. Vt qui fuliginosum complexus est, non potest nõ immundus abire: ita qui vlciscitur, culpa, quæ in lędente erat, infuscatur.

Alia ratio.

Adde, qđ sępissime qui vlcisci volunt, potius se suosq; perdunt, quàm inimicos, vt ipsa sępe docuit experientia: quod argumentum late tractari posset. Et certe iniuriam vlciscentibus accidere solet, quod de Praxitele

Simile, notandum.

narratur. Is cum iratus speculum inspexisset, & imaginem iratam vidisset, ei minari cæpit, & illa itidem ei, vt tandem fregerit: quo facto plures imagines minitantes factæ sunt: & ita dum vnam imaginem minitatem remouere voluit, plures suscitauit. Idem vlciscenti accidit, qui dum inimicum occidit, amicos affines illius sibi inimicos facit, & pro vno

plures. Deinde aut ſingulas iniurias, quibus paſsim per totam vitam affici poteris, vlciſci vis, aut non omnes? ſi primum eligas, in vanum laboras, cum neque ipſi principes hoc poſsint, nec expediat: adde etiam, quod cum quotidie ſint qui iniurias inferunt, vitam traduces miſerrimam, & calamitoſiſsimam: ſi aliquas contemnere volueris, cur & non omnes? cum nullus ſit melior ad felicitatem aditus, nulla ad gloriam via paratior, nihil ad trãquillitatẽ vitæ opportunius quàm iniuriarũ contemptus? Præſtat ergo iniuriam negligere, quàm vltionem quærendo, perpetuò cruciari. Et cum tria remedia ſint ad tollendam iniuriam, vltio, obliuio, contemptus, nullum eſt opportunius, & præſtantius, quàm deſpicatio, quæ non eſt turpis, vt vltio; nec periculoſa, ne aliquando reuireſcat, vt obliuio. Eſto igitur Deo ſimilis, qui humanas contemnit iniurias, eaſque libenter condonat. Eſto celſo erectoque animo, & tanquam in altiſsima turri poſito, lapides fruſtra iacientes illæſo tibi irridere liceat. Et vt amore patientiæ, quæ tibi opus eſt capiaris, lubet eius effigiem ex Tertuliano ob oculos ponere. Vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mæroris, aut iræ rugoſitate contracta; remiſſa æque in lætum modum ſupercilia, oculis humilitate, non infœlicitate deiectis. Os taciturnitatis honore ſignatum: color, qualis ſecuris, & innoxijs motus frequens

Alia ratio

Iniuriarum remiſſio, via ad felicitatem

Iniuria triplici modo remouetur.

Ratio optima ad remouedam iniuriam.

Tertulianus Patientiæ deſcriptio

Locus amplissimus legend' in laude patientiæ. capitis in diabolum, & minax risus. Cæterum amictus circum pectora cādidus, & corpori impressus; vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet in throno spiritus, quem tertiò vidit Elias. Præterea aut iactura te
Alia ratio. vrget, aut offensa ad vltionem excitat: sed nec offensa vltione tollitur, nec iactura redimitur. Quòd si potius velles offendisse, & doles, quod offensus fueris: iam te ipsum iniuria afficis, cum te improbum declares, cum malorum sit inferre, bonorum pati iniurias:
Gregorius. Hinc Gregorius. Qui malos non fert, ipse sibi per impatientiam testis est, quòd bonus
Alia ratio. non est. Est etiam illa ratio, quæ Christianum hominem deberet omnino ab iniuria, & vindicta facienda reuocare, quod qui in hominem iniuriosè se tractat, Angelum custodem eius, quem offendit, quadam ratione despicit, & iniuria afficit. Quo argumento vsus est Christus dominus ad reuocandum homines ab iniuria pueris facienda. Angeli enim eorum vident faciem patris mei, qui in
Matth. 18. cœlis est. Quòd autem Angeli ad singulorum custodiam destinati sint, præter hunc scripturæ locum docet auctoritas Basilij cō
Philip. psb. Cap. 23. cione secunda de ieiunio, Philippi presbyteri commentarijs suis in Iob. Idem docet Hilarius in psalmum 134. Rupertus Abbas Tuitiensis in Apocalipsim cap. 9. Quin etiam auctores profani hoc aperte docuerunt.
Philemon. Philemon Comicus apud Clementem

Alexandrinum, his carminibus hanc veritatem docuit.

Adest viro cuilibet dæmon bonus
Cum natus est, statim vt ad vitam instruat.

Et Phocilides. Phocilides.

Dæmonibus non vna viris natura nocendi est,
Sunt enim longe venientia, qui mala pellunt.

Idem Calcidius in Timæũ Platonis,& Philo libro de mũdo tradunt. Quare sicuti iniuria fieret viro nobili, si quis pauperẽ, cuius curã gereret, quem secum duceret, vt ab aliorum iniurijs tueretur, necaret: ita, qui hominem offendit, custodem angelum, quantum in se est iniuria afficit. Zeno stoicus interrogatus à quibusdam, quanam ratione possent nihil iniuriæ facere; respondit. Si semper me vobis adesse existimabitis. Cur Christianus ab iniuria nõ abstinebit, si Angelũ, si Deũ adesse animaduerterit? Amplius si homines diligẽter perpenderent quid agunt, dũ contumeliosè,& inique aliquem tractant, se diuinum, ac æternum numen quantum in se est offendere,& iniuria afficere, à tali fortasse scelere se abstinerent, nec punitionem, nec vindictam, quam sibi suisque iudicibus reseruauit ex eorum manibus extorquerent. Benignissimus ac pessimus dñs, ait Saluianus, cõmunẽ sibi cum seruis suis & honorem simul, & cõtumeliam facit, ne quis cum læderet Dei seruum, hominem tãtum à se lædi arbitraretur. Et Hermegenes, vt est in libro secretorum

Calcidius Philo. Zeno Stoic. Saluianus. Hermogenes.

Aristotelis. Quando creatura interficit creaturam sibi similem, omnes virtutes cœlorum clamant ad diuinam maiestatem; dicentes. Domine domine seruus tuus vult esse similis tibi. Finge quæso Christiane, dum Deum offendere aliqua ratione niteris, eum ita te alloquentem. Quid feci, quid erraui, o creatura mea, quod me contemnis, & à me patre, & procreatore tuo ad dæmonem peremnem, & crudelissimum inimicum tuum deficis? Quia ab æterno te amaui? quia ab æterno tui in me idæam quandam effinxi? quia ex nihilo ad imaginem meam creaui? quia omnibus creaturis, & virtute mea te conseruo? quia te perditum redemi? quia omnia peccata tua in filio meo acerbè puniui? Legendus est illustris locus Timothei Episcopi libro primo ad Ecclesiam catholicam, vbi diuina beneficia enumerantur. Quare cum offendendi Dei occasionem pessimus hostis (cui is est animus, vt Tacianus oratione contra græcos scripsit, vt diuinitatem quantum potest affectet, & cœlum cum omnibus creaturis euertere vellet, si posset) præbet, & ad peccandum inuitat, beneficia diuina in mētem quisque reuocet, atque cum Henrico de Hassia, ita Deum alloquatur. O quantum te diligere debeo Deus meus, qui me creasti cum nō eram, qui me redemisti cum perieram: cum errabam me reduxisti: quando ignorabam me docuisti: quando peccabam me corri-

Locus cōtra homicidas Hypotesis notanda

Timotheus episcopus

Tacianus. Assirius.

Ræmandus Sebundus.

Henricus. c.7. Solilоq. Dei benefi-cia enumerantur.

puisti: qñ tristabar, me consolatus es; qñ iam penè desperabã confortasti me: qñ steti tenuisti me: qñ cecidi erexisti me: qñ iui duxisti me: qñ veni suscepisti me. Adde quartam rationẽ à natura petitam, q̃ hominẽ inermẽ, nudũ, sine vnguibus, rostris, cornibus procreauit; quasi eum ad pacem, & concordiam, & lenitatem fabricauerit. Quam ob rem qui armant se contra homines, qui alios lædunt, belluarum viuendi rationem inire videntur. Hinc Menander. Iusti mores iniuriã facere nesciunt: nemini iniuriã facere omnes homines natura docet. Idem q̃ te odio habet, ama: qui te amat, deama. Inepte igitur quidam ex nostris disputant: qui dum volunt hominem ad vindictam excitare, arguunt ex eo, quod natura brutis animantibus vngues, cornua dederit quasi more bestiarum, & sine ratione animali rationis participi viuendum sit. Quare si quis vult prudenter vindictam vlcisci, Diogenis sequatur documentum. Quonam pacto vlsciscar inimicum? Si bonus, inquit, honestusque ipse fias. Neque bonum est, & honestum, vt aiunt, par pari per se referre, & errantem proprio iure punire; imò cæteris paribus, qui vindictam sumit, magis peccat, quàm qui primò offendit; quam doctrinam Sedulij auctoritas in epistola ad Romanos confirmat; vbi sic scribit. Reddere malum non est bonum, vt quibusdam visum est. Maius malũ reddere, quia qui intulit non agno-

Quarta ratio

Menander

Diogenes Vlciscendarum iniuriarum ratio optima.

Sedulius cap. 12.

ſcit: qui mouetur ad vlciſcendum eo ipſo co
Io. Bap. Suſ. gnoſcit eſſe malum. Et certe, vt Suſius ait, etiam ſi daremus non errare eum qui vlciſcitur, dum par pari refert: tamen ſemper in eo
Deut. 32. peccat, quod & magiſtratus, & Dei qui ſibi
Rom. 13. vindictam reſeruauit, auctoritatē offendit.
Plato. Quam ob rem Plato, non vno in loco grauiter errare eos, qui iniuriam inferunt aſſeuerauit, eiuſque diſcipulus
Ariſtot. Ariſtoteles confirmauit, & aſſerit eſſe cum vitio coniunctum. quod ſilentio, & data opera præteriuit Poſſe
Suſius. uinus, vt ait Suſius. Poſſet etiam adduci ad deterrendos homines ab iniuria, & vindicta ratio ex malis tùm ſpiritualibus, tùm corpo
Damna quę ex vno peccato mortali contrahūtur inexplicabilia. ralibus quæ inde oriuntur deſumpta. Neq; enim explicari poſſe arbitror quę quantaque ſint damna ſpiritualia, quæ ex vno peccato graui contrahuntur. O quàm infelix eſt il-
Diſcipulus. le, inquit Diſcipulus, qui participatione omnium miſſarum, orationum, & eleemoſynarum, & omnium bonorum quæ fiunt in tota Eccleſia, propter vnam iram, & vindictam vult carere, & priuari omnibus bonis q̄ fiunt in cœlo, & in terra. Rurſus dum inimicitias exerces & odio flagras erga inimicum, omnia opera bona, & amicitiam Dei, Chriſti, Beatæ Virginis, angelorum, & ſanctorum omnium perdis. Quam ob rem, ſicuti tu in proximum ſigna iræ, & odij oſtendis, ita etiam Deus, & ſancti omnes in te ſigna iræ, & vindictæ exercebunt. Sed latius de hac re diſſerendi non

eſt hic locus. De damnis autem, quæ in bonis fortunæ accipiuntur propter diſcordias aliqua afferentur, cum de diſcordia agemus. Quod ſi quis dicat: video equidem vindictã non eſſe ſumendam, video rem eſſe rationi repugnantem: tamen ab appetitu vindictę trahor: non poſſum mihi ipſi imperare. Fateor rem arduam eſſe; at ſi ſemel volueris, ſi quantum in te eſt præſtiteris, diuina gratia non deerit. Noli diffidere: res in promptu eſt: vita in manu eſt: virtus in voluntate eſt: victoria ĩ arbitrio eſt: ſi voluiſti, viciſti. Sed cũ interdũ pacificationes non facile fieri queãt, ac diu in diſcordia ſæpe viuatur, quomodo interim vir prudens fructum ab inimico poſſit percipere, non erit ab inſtituto alienum, nec ſine vtilitate docere.

In apendice de amore & diſcordia fraterna.

S. Laurenti' ſermone de pœnitentia.

De vtilitatibus ab inimicis capiendis. Cap. 54.

QVAMVIS priſci illi homines ſolo hoc contenti fuerint, ne à beſtijs læderentur: poſteriores tamen etiam ab illis vtilitates capiendas eſſe, dum illarum lacte ad remedia vtuntur, pilis veſtiuntur, carne veſcuntur, cenſuerunt. Diſsimili in re, ſimili ratione de Xenophontis ſententia, nos nõ ſolum hoc contenti eſſe debemus, ſi inimici nos minime lædũt, ſed etiã curandũ eſt, vt ab eis vtilitates aliquas exhauriamus. Nec enim

Xenophon.

Plutarchus res aliqua est tàm noxia, Plutarchus scribit, quin prudens homo ex ea emolumentum, veluti agricolę ex Syluestribus arboribus, percipere queat. Vt igitur magis commouere possimus homines, vt abstinere velint à vindicta; de qua re supra disputatum est; & ad inimicos diligendos, de quo postea scribetur, aliquot vtilitates summatim locum amplissimum coarctantes, vt breuitati studeamus, afferemus. Si quis autem plura legere desiderat, legat quos nunc citabo scriptores: & in primis Plutarchum in opusculo de vtilitate ab inimicis capienda. Ludouicum Cœlium Rodiginum lib. 8. cap. 17. Chrysost. hom. 19. in Matth. & hom. 5. in secundam ad Cor. Cyprianum sermone de zelo, & liuore, & alios sanctos, qui de diligendis inimicis aliquid conscripserunt. Scripsit etiã Maximus Tyrius sermonem de hac re. Prima igitur vtilitas, eaq; maxima est, quod nihil æque valet, ad veniam peccati sui à Deo obtinendam, atq; illatas iniurias æquo animo ferre, aut acceptas prompta voluntate condonare. Hoc nos ipsa veritas docuit, dum orandi formulam pręscripsit, & exposuit, & docuit, tunc posse nos veniam impetrare, cum alijs debita eorum condonauerimus. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Ad tam magnum tonitruum ait Augustinus, qui non expergiscitur, non dormit,

Plutar. Lud. cœl. Chrysſ. Cypr.

Max. Tyrius ser. 35.

Prima vtilitas quæ capi potest ab inimico.

Aug. ench. c. 73.

mit, ſed mortuus eſt. Et alibi. Ad dilectionem inimicorum vos moneo, quia ad ſananda vulnera peccatorum nullum efficacius medium eſſe cognoſco. Vt auſus fuerit Caietanus aſſerere, quem tamen meritò in ſuis adnotationibus damnat Catherinus; Si quis ex corde propter Deũ remiſerit iniurias, etiam ſi in fornicatione perſeueraret; tandem Deus conuerteret eum ad pœnitentiam, & condonabit ei omnia. Secunda vtilitas. Ex inimicorum dilectione ſummam adipiſcimur dignitatem, qua nulla maior dici, aut excogitari poteſt: quod ſcilicet filij altiſsimi euadamus. Diligite, inquit ſeruator noſter inimicos veſtros, & eritis filij altiſsimi. Quanta ait Auguſt. gratia, per nos ſerui digni non ſumus, & inimicorum dilectione filij Dei efficimur. Quantum autem nobis neceſſarium ſit, ad ſimilitudinem Dei nos ipſos effingere, pulcherrime Iſaias Abbas oratione 18. quæ eſt de iniuriarum obliuione, his verbis demonſtrauit. Niſi enim homo ad filij Dei naturam, & exemplum ſe compoſuerit, inanes ſunt omnes eius labores. Quid? quod etiam philoſophi dixerunt, hanc eſſe beatitudinem noſtram, Deos ſequi. Propterea dicebat Empedocles, homines probos eſſe Dei ſimillimos, & poſt vitam fieri Deos. ἔνθεν ἀναβλαστοῦσι θεοί. ideſt hinc repululãt Dij. Et Porphyrius, Animi finis eſt Deo fieri ſimilem. Tertia vtilitas. Inimicus in cauſa

Caiet. Cather.

Secunda vtilitas.

Luc. 6.

Aug.

Iſaias. Abbas.

Empedocles

Prophir. l. de sacrif.

eſt,

est, vt à vitijs abstineamus, & congruenter rationi viuamus; ne quid offendamus, ex quo ille voluptatem capiat. Obseruat enim hostis, accuratè vitæ nostræ actiones, consilia, & somnia etiam ipsa, vt si quid minus recte gestum inuenerit, veluti vultur, sana non sentiens, vellicet, & laceret. Est ergo maxima hæc vtilitas, quæ ab inimicis capitur, quando omnia cautè, & exploratè agimus, dum inculpati, & inreprehẽsibiles apud illos esse volumus; Habet enim hoc peculiare malitia, vt magis inimicos, quàm amicos reuereatur. Declarat hoc Plutarchus, simili sumpto à ciuitate hostibus finitima, , quæ diligentius, & cautius excubaret, quàm si longe abesset, aut nullus esset hostis. Quarta vtilitas ex eo desumitur, quod inimici sunt veluti quidam magistri seueri, & incorrupti, vitæ nostrę, cum non dissimulanter nostra vitia notent, & nobis obijciant. Et eo gratior debet nobis accidere inimici disciplina, quod ἄμισθος διδάσκαλος, idest gratuit⁹ magister, existat. Quare ait Plutarchus si te ineruditum vocat; fac acuas industriam. Si ignauum, animi fortitudinem exerce. Hac de re, aiebat Antisthenes, ad salutem tuendam opus esse amicis ingenuis, aut acribus inimicis. Verùm postea quam amicitia penè vocem amisit, & assentatio loquax viget, superest, vt ab inimicis verum audiamus, vt cum medicum amicum reperire nõ liceat, vulnus hostili

Inimicorũ studium.

Plutarchus

Quarta vtil.

Plutarc.

Antisthenes

hostili lancea curetur. Neq; cuipiam paradoxum videri debet, dum docemus, inimicum præceptorem nostrum esse debere, quando nulla alia ratione ita bene homines doccentur, atq; infortunijs, & aduersis rebus: quo fit, nihil vetare, quin præceptore vtamur, inimico: cum non rarò contingat, magis intelligi, & cognosci ab inimico, quàm ab amico vitia. Etenim τυφλοῦται τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον, idest occæcatur amor in eo, quod amatur. Depingit hanc rem Plutarchus huiusmodi exemplo. Hieroni à quodam inimico obiectus est oris fetor: qui reuersus domum increpauit vxorem, quod de eo vitio cum nō monuisset. At illa, cum esset simplex putaui inquit; omnes viros ad eundem modū olere. Quinta, & satis illustris vtilitas, quæ ex inimico capitur est; quod si eorum conuicia, & contumelias & agrestes mores ferimus; facilius amicorum, parentum, viuendi rationes ab honesto remotas, feremus. Ideo socrates, cur petulantem, & acerbam vxorem sustineret domi, interrogatus, respondit: vt facilius alios posim ferre. Hinc fiet, vt nec ipsi amicos aut verbis lædamus, aut fraude decipiamus, aut alia quauis ratione eis molesti simus. Propterea Demostenes cum ad amicitias aptū esse aiebat, qui plurimas iniurias pati posset. Hanc ob causam suis prçipiebat Pythagoras, ne animalia occiderent, vt à crudelitate, & seuitia in homines

Præceptor bonus qui.

Platonis sententia.

Plutar.

Quinta vtil.

Socrates.

S. Maxim.

Ad amicitias qs fit aptus.

Pythagoras.

mines retraheret: & empto retium iactu, ad idem significandum, captos pisces iubebat libertate donari. Sexta vtilitas, quæ præstantissima, & summa est, quod præbent nobis occasionem gloriæ, & famæ acquirendæ, media patientia, qua nihil potest accidere in hac vita hominibus vtilius, cum omnes nostras actiones illustret, & exornet.

Sexta vtilitas.

Lucanus.

Lætius est, quoties tibi magno constat honestum. Hanc rem declarat D. Chrysostomus exemplo patientissimi Iob, cui diabolus, amici, vxor ingentis & perpetuæ gloriæ occasioně attulere: vt recte dixerit Cassiodorus: non debes inimicos existimare, qui prosunt. Nã si æquo animo perferantur, frequenter nobis talia conferunt, qualia dulcissimi amici præstare non possunt. Isti enim sæpe nos à virtute blandiendo deducunt, illi verò in eadem affligendo constituunt. Quapropter ama patientiam, & plus inuenies in inimico quod diligas. Daretur hic amplissimus campus, in quo excurrere longissime posset oratio; sed quoniam breuitati studeo, contentus ero illustriora quædam adnotare loca, ex quibus multa depromi poterunt argumenta, ad persuadendũ hominibus q̃ illustris, q̃ excellens, quã vtilis sit eis patientia. Legendi sunt ergo de hac re hi auctores. Tertul. lib. de patientia, Cyprianus, Polydorus Virgilius, qui duos libros de laudibus patientiæ scripsit. Zeno veronensis episcopus ser. 6. miris laudibus

Cassiod. in ps. 117.

Magis iuuãt inimici quã amici.

Tertulian. Cyprian. Polydorus.

dibus patientiam extollit. Maximus, ser. de sancto Stephano. Finus Ferrariensis lib. primo contra Iudæos, vbi habet pulcherrimam amplificationem patientiæ Abrahæ. Quanti faciendę sint tribulationes, egregiè admodum docet Idiota lib. 2. de vera pœnitentia cap. 2. 3. qui locus est omnino legendus. Henricus Harphius latissime hac de re non vno in loco disputauit. Ioannes Vuierius l. 4. de prestigiis c. 25. vbi docet quomodo excitandi sint ad tollerantiam ij, qui maleficio dęmonis afficiuntur. Valebit ad excitãdos homines christianos ad tollerantiã afferre exempla gentilium, qui multa, & grauia perpessi sunt incommoda, ob caducam, & vanam gloriam. Et Diodorus lib. 4. de moribus ægyptiorum, refert, si quis eos ensę percutiat non diffugere, neq; quenq; alterius vulnere, aut danno moueri, & sæpe filios, & vxores ante oculos interfectos absque vlla passione respicere. Quamobrem si prçclare in hac re tractanda bonus se gesserit concionator, ita vt patientiæ fructus, & efficaciam auditoribus persuadeat, illud profectò perficiet, vt homines ab iniuria, & vindictã facilius abstineant, & potius velint

Emendare malos venia, quàm perdere pœna.

Inuadat itaq; prudens concionator in hanc arcem omni conatu; quia licèt res ardua sit, & non facile homines ad lenitatem erga inimicos adhibendam moueantur: tamen

Maximus. Finus cap. 4. Idiota Henricus Harphius. Io. Vuierius Diodorus. S. Antioch. legẽdus est hom. 52. 53. Paulinus Nolanus.

Horatius lib. 1. epist.

Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodat aurem.

Quod si quis tandem vlcisci cupiat, non refragabimur, si diuinam, & cœlestem vindictam prosequi voluerit: quod faciet, si inimicum diliget. Inimicum diligere, cœlestis vindicta est, ait Paulinus. Cæterum cum ad amandos inimicos haud facile homines inclinentur, propterea rationes aliquot in sequenti capite afferentur, quę eos ad hanc prestantissimá actionem excitare, ac inflammare valeant.

Vindicta cœlestis quæ.

Paulinus epist. 2.

Quas ob causas inimici sint amandi.
Cap. 55.

QVAMVIS sola vtilitas, quam ab inimicis capere licet, per se idonea esse debeat ad excitandam quamlibet sopitam caritatem, ad diligendum inimicos, & ad restinguendum omnem odij æstum: tamen cum hæc res magni ponderis sit, & ex ea pax conscientię, & animi tranquillitas, quo bono nullum maius est in hac vita, oriatur; accuratius, & studiosius plures rationes ad id faciẽdum, quod volumus afferendę sunt, vt ratione abundare demonstremus, quod ratione carere hominibus videtur. Et vt certo quodam ordine afferantur, eas ad quędam capita reuocabo. Primum ergo caput continebit quasdam persuasiones desumptas à ratione humana recta, pro vt homo est quoddam animal,

Primũ cap.

mal, quod ratione viuit, & id quod conſcientiæ congruit, à qua nunquam ei recedere licet, efficit. Debet enim homo, ſi tanquam homo viuere cupit, rationem vitæ magiſtram ſequi. Propterea nos rectè monebat Nilus Epiſcopus, vt in omnibus rebus gerendis cō ſcientia vteremur, cum quid in vita bonum, & quid malum ſit pariter oſtendat. Nilus Epi.

Nam neq; decipitur ratio, nec decipit vnquã. Manilius lib. 2. Aſtr.

Prima ergo argumentatio ita habet. Nemo eſt ita ſibi inuiſus, & odioſus, vt nollet ab omnibus etiam ab ipſis inimicis amari: quia cũ odio affici, ſit quoddam malum, nemo ſanæ mentis vellet haberi odio. At natura aperte docet vt eum viciſsim ames, à quo amari vis; ne dum tu in amante viuere cupis, amantem in te mortuum eſſe velis: quod quàm turpe ſit, Ficinus in ſuo Symphoſio elegãter admodum docet. Quare natura te docet, vt inimicum ames. Præterea natura, ſimile ſimile appetit, & appetendo amat. At inimicus eſt nobis perſimilis, cum in eo ſit eadem natura, quæ in nobis eſt, ob quam naturam amari debet. Cur ergo non erit amandus, cum eadẽ, quę antea, poſt acceptam iniuriã cauſa amoris maneat? Neque enim natura nobis iniuriam facit, ait Franciſcus Picus, ſed naturæ voluntas, & uoluntatis malitia, quatenus à ratione deficit, qui defectus nihil eſt, aut ſi qd eſt, accidens eſt. Cur ergo ſubſtantia hominis quæ eſt bona, & amabilis propter id, qđ Prima ratio Marſi. Ficin. Alia ratio. Frãc. Picus.

nihil est, aut propter accidens, ait citatus doctor, odio habetur? Tertia ratio, quæ desumitur ex eo quòd maxima iniuria fit parti rationis participi, cum parti rationis carenti per peccatum subijciatur, & suo splendore priuetur, & odij, & iræ nebulis, & ignorantiæ tenebris obducatur, & veluti in tenebricosum infernum demergatur. Est enim, vt Marcus Eremita scripsit ἄδης ἄγνοια, idest infernus ignorantia; propter quam homo quodammodo desinit esse homo. Huc faciunt D. Paulini carmina epistola trigesima octaua.

Tertia ratio

Thalasius hecat. de 2. Adriã. Card. S. Chrysog.

Marc. Erem. lib. de lege spirit.

Verus homo, qui mente potens, in qua rationis
Lumẽ habet, famulos nullo certamine sensus
Temperat, & placidis sua pectora flectit habenis.

Paulinus.

Sumuntur secundo loco aliæ rationes ex parte hominis, quatenus Christianus est. Initio debet homo tanquã Christianus agnoscere in inimico imaginem Dei sui, & sanctissimæ Trinitatis, & ita eũ tanq̃ rem diuinã venerari, & colere; & hac ratione Deum, quẽ se amare profitetur, in sua imagine, & similitudine diligere. Inter alias enim conditiones, quas Ioãnes Picus in amante requirit, ea est, vt amet omnia, quæ ad amicum pertinent, veluti vestes, imagines &c. Quanta autem sit animæ rationalis præstantia, eleganter Nicolaus de Cusa libro exercitationum sexto demonstrauit, vt meritò Aristoteles de animo dixerit;

Secundum caput.

Prima ratio.

Ioan. Picus.

Nicolaus Cusanus.

Aristot.

dixerit: Dijs συγγένατος, hoc est, propinquissimus: & Plato ὁμοιότατος, hoc est, simillimus. Et alibi Aristoteles hanc partem solam, dixit θεῖον εἶναι. hoc est diuinam esse. Deus enim, vt Plotinus sentit, est quidquid illi est coniunctum. Et Hidelbertus epistola 56. Homo est animal diuinum, participio numinis insignitum. Quis igitur tam singularem Dei similitudinem non diligat? quis tam diuinum simulachrum nó vereatur odisse? Quis non illum amet, quem amando ad Dei similitudinem se effingit, & ad coniunctionem se preparat diuinam? Caritas enim, ait Simplicius, est pulcherrima exercitatio, & præparatio ad coniunctionem diuinam. Vt meritò Pythagorei, Steuchus refert, præ cæteris virtutibus caritatem coluerint; & σύνδεσμον πασῶν τῶν ἀρετῶν, hoc est, complexum cunctarum virtutum appellauerint. Secundo debet Christianus inimicum diligere, tãquam ex eodem Deo natum, & renatũ, & in eodem Ecclesiæ ventre conceptum, & eodem sinu positum, eodem signo consignatum, eadem medicina sanatum, & eadem dignitate à filio Dei per carnis assumptionem insignitum, & decoratum. Quis igitur est tam ferus, tam barbarus, qui eum, qui tot nominibus ei coniunctus est, & eam naturam, & carnem, quam Christus tanti fecit, vt ea se amicire voluerit, exosam habeat? Tertia ratio omnino diligenter animaduertẽda facile

Plato

Plotinus

Hidelbertus

Simplicius

Aug. Steuchus.

Secunda rõ.

Psal.

Tertia ratio

incidere poteſt, vt inimicus tuus, quem tu odio proſequeris, ſit carus, & gratus Deo, ac propterea membrum viuum Chriſti, templũ Spiritus ſancti; & ſit is propter quem Deus gubernat mundum, quem propter bonos, & ſibi caros conſeruat, ac proinde illum ipſum ſeruat, qui odio laborat; & denique eſſe po-

D. Ignatius. teſt de numero eorum, quos D. Ignatius Deiferos, Spiritiferos, Chriſtiferos appellat. At nemo rationis particeps, eũ quem Deus habet in delicijs, eum in quo ſpiritus ſanctus habitat, eum, qui Chriſtum geſtat, eum inquam, per quem in vita ſeruatur, haberet inuiſum: ſed Deo, & ſpiritui ſancto, & Chriſto, & ſibi conſentiens amaret, veneraretur. Huc pertinet etiam illa animaduerſio, quòd aliquando in eodem beatitudinis loco, cum te cernere continget, quẽ in hac vita reſpuis, repellis, deſpicis. Tunc quantam obſecro ſi fieri poſſet, caperet homo mæſtitiam, cum in illa feliciſsima ſocietate eum conſpiciet hæredem Dei, & fortaſſe ſuperiori loco poſitum, & ſumma gloria decoratum, quem aliquando contempſit. O quàm vellet in terris coniunctiſsime, & amiciſsime eum tractaſſe, quo cum perpetua conſenſione vitam acturus eſt eo in loco.

Vida lib. 4.

Pax vbi tranquilla, & cunctarum opulentia rerum,
Et ſecura quies, nuſquam peritura voluptas.

Tertiũ cap. Tertio poſſunt deſumi rationes ex parte inimici

mici, considerando ea q̃ in ipso reperiuntur, dum malus est. Primo quis argueret ex vtilitatibus, quas capere ab inimico licet, de quibus supra diximus, quæ vt ait Peraldus, longe maiores sunt, quàm quæ ab amicis percipiuntur: quibus adde etiam voluptatem, & iucunditatem. Vsque in tempus, ait scriptura, sustinebit patiens, & postea reditio iucunditatis. Secundo cum inimicus in vitio est, nihil potest magis illud destruere, quàm dilectio, quæ carbones ignis in caput inimici cõgerit. Vt malum, ait Primasius in hunc locum, benignitate confundas, & gratia castiges ingratum; Et Maximus centuria quarta de caritate, loquens de odio, ait. Hoc modo vinces, si pro illo oraueris Deum vere, & ex animo. Omnis enim inimicitia, scribit Chrysostomus, beneficiorum assiduitate compescitur. Tertio dum inimicus vitijs infectus est, mortuus sane est; Homo enim per malitiam occidit animam suam. Mortuum verò odisse, aut in eum sæuire, est perditissimi, & iniquissimi hominis. Quare sicut inhumanè se gesserunt, qui Christi mortui latus aperuerũt, quod latus Symbolum est, vt Diuus Vincentius docuit remissionis iniuriarum; quia vulnus illud amoris flammas in corde ardere demonstrat: ita isti, qui mortuum hominem in puluerem resoluere vellent, si possent, inhumaniter se gerunt. Sæuies igitur sine ratione in mortuum? surdam verberabis terram?

Prima ratio

Peraldus.

Secunda rō.

Primasius.

Maximus.

Chrysost.

Tertia ratio

Sap. 16.

D. Vincenti' ser. 4. dom. in albis.

ram? Vis, vt de te illud dici semper possit, dum odium deponere non vis.

Horatius. *Fœnum habet in cornu, longe fuge.*

Aut illud.

Theocritus. *Semper acerba illi pro naribus assidet ira.*

Quartum caput. Sumi quarto loco possunt rationes ex parte naturę amoris diuini, de cuius laudibus diuinè prorsus Zeno Veronensis Episcopus sermone secundo scripsit. Prima ratio. Ea est amoris diuini conditio, vt amet. Et, si ex eo quæras, cur amet, respondebit; eo quòd ipse amor sum. Et si percontari pergas: cur inimicum diligat: respondebit, omnes amicos, & inimicos complector, & ideo diligo, quia diuinus amor sum, qui in me ipso amo omnia, & in omnibus: imò idcirco prorsus amo, quia non possum non amare. Si quis ergo dicet, se Deum amare, & amorem habere diuinum, inimicum amet oportet, cum eum habeat amorem, qui omnia amat. Placet hoc loco quasdam viuendi regulas referre, quas Thaulerius, cum de diligendo inimico ageret, adnotauit; quibus quædam sanctissima Virgo dum viueret vti solebat, cum non sint ab ea re, in qua nunc versamur alienæ. Primò aiebat virgo illa, si quis me iniuria afficit, speciali beneficio illum afficere curabā; quod nisi læsa prius ab ipso, minime contulissem. Secundò omnes vt meipsam æque dilexi. Tertio nulli nisi Deo aduersa mea questa fui, & è vestigio consolabar, & confortabar à Deo.

[Margin notes: Zeno Veronensis. Thaulerius. — Amoris diuini natura. — Regulæ viuendi cuiusdā virginis notandæ.]

à Deo. Quarto corde semper liberalissima fui: quando foris dare non poteram, dabam animo. Secunda ratio. Cum amor amici ex natura prodeat, & ad eos amandos nos natura impellat, ita vt etiã ethnici amicos amẽt, non læue, neque obscurum est diuini amoris argumentum, cum quis se inimicum amare sentiet. Amemus ergo inimicos, vt certiores simus, nos Deum amare. Tertia ratio. Quælibet virtus exercere debet præstantissimam operationem: at amor inimici, vt aliàs probauimus, est excellentissimus actus caritatis. Ergo is qui putat se habere amorem diuinum, vt commendet, hoc est illustrem faciat caritatem suam, amabit inimicum, vt filius Dei appellari mereatur. Quid enim excellentiæ, & splendoris caritas habebit christiana, si ad amicos restringatur, si certis cancellis, vt ethnicorum beneuolentia, coarctetur? Quare meritò Maximus centuria prima de caritate, beatum hominem illum appellâbat, qui omnem hominem ex æquo posset diligere. Si quis autem cognoscere cupiat quãta sit diuini amoris energia, legat homeliam 23. Thomæ de Cemps. Philo Episcopus etiam commentarijs suis in cantica, declarãs verba illa: Vulnerasti me: satis eleganter diuinum amorem erga nos homines extollit. Quinto loco possunt aliæ rationes depromi ex parte Dei, & Christi. Primum Deus ab æterno hunc hominem, quem odio habes,

Secunda rã.

Tertia ratio

Maximus Centuria 1. nu. 17.

Thomas de Cemps. Philo Eps.

Quintũ cap.

Prima ratio.

ama-

amauit, & ad beatitudinem fecit, & lapsum ob nimium amorem erexit, & in hoc commẽdauit caritatem suam. Cur ergo seruus contemnet eum, quem tantopere dominus amauit, & amat; quem ad se miris, & ineffabilibus modis allicit, & inuitat? Secundò pro isto filius Dei non dubitauit de cœlo descendere, carnem assumere mortalem, mortem subire atrocem, pro quo si opus esset, paratus esset iterum mori. Et christianus quem Christus seruauit, odio habebit, & perdere curabit? Tertio hoc præceptum de diligendis inimicis peculiari quadam ratione est præceptũ Christi, & hæc est vna ex potissimis causis, cur christiani suos amare deberẽt inimicos, vt Seruatoris sui seruarent mandatum. Aliàs non video quomodo demonstrabimus vos esse Christianos, si symbolum, quo Christus suos discerni voluit, non gestabimus. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Quarto ex quadam singulari Dei in nos beneficentia fit, vt ab inimicis lædamur, & ideo eos tanquam flagellum Dei omni caritatis affectu diligere debemus. Hinc, inquit Berchorius, tot viri clari, & illustres, tot virgines, tot martyres extiterũt, quorũ virtus cũ delitesceret, inimicorũ opera, Deo sic illis cõsulente, emicuit. Et vt recte scripsit Tritemius, nemo vires animi cognoscit sui, quem contumelia nec dum adusserit insignis. Ratio autem, cur

Secunda rõ.
Tertia ratio
Ioan. 15.
Ioan. 15.
Ioan. 13.
Quarta rõ.
Berchorius.
Tritemius.

crea-

creaturis affligamur ea est, vt Thaulerius scribit; quòd dum Deus offenditur, etiam creaturæ læduntur; & propterea debemus eas tanquam flagellum Dei amare. Et si non sumus peccati conscij, putandum est hoc flagellum Dei in nos cadere, quia ipse in nobis peccatum agnoscit: Et si omnino de innocētia certi sumus, adhuc suscipiendum est ad exercitium, ne in peccatum labamur. Denique nihil est, quod possit animos nostros tranquillare, ac vicinius spiritum nostrum cum Deo vnire, quàm diuina caritate inimicos diligere. Sed, vt fastigium huic capiti, & parti imponamus, has rationes adnotasse sufficiat, quas si prudens concionator, & pacificator amplificare voluerit, & nouerit, poterit iratorum animos ad amandos inimicos inflammare. Quòd si victoriam non omni ex parte retulerit, aliquid certè faciet.

Creaturę flagellū Dei.

Postrema r.

Nec radicitus euelli mala posse putandum est. Lucretius.

Construximus, & confecimus hactenus, iuxta ea quæ tranctanda proposuimus huius nostri operis ædificium, quia & fundamenta iecimus, & parietes ereximus, & tectum imposuimus; sed vt persistere queat, aduersariorum machinas, quibus veritates, veluti colūnis quibusdam tota hæc nititur substructio, euertere conantur, contere re oportet, quod sequenti parte efficere curabimus.

Refelluntur rationes probantes inimicos non esse diligendos. Cap. 56

Heres. 44. Epiphani. QVAMVIS, vt recte scripsit Diuus Epiphanius, veritas per se semper firma sit, nec opus habeat auxilio, quippe quæ à Deo, à quo originem ducit, semper confirmetur: tamen nulla vnquam fuit ita hominibus accepta, ac grata veritas, quam humana audacia labefactare non ausa fuerit. Licèt ergo ea, quæ à nobis potissimũ demonstrata sunt, vera sint; veruntamen non desunt, qui illa perfringere, & labefactare conentur. Vt igitur magis ac magis corroborentur; argumenta quædam, quibus aduersarij quæ præcipue docuimus, euertere student, paucis refellantur. Nec est nobis animus afferendi singulas rationes, quæ afferri possunt contra omnes veritates allatas; quia hoc esset præter institutum nostrum, & immẽsi laboris opus; sed solùm breui refellere volumus eas argumentationes, quę contra dilectionem inimici & in fauorem vindictæ priuatæ, & contra pacem exteriorem in vniuersum proferuntur: cum his maxime veritatibus tota hęc nostra nitatur tractatio. Volui autem has rationes in hunc locum reijcere, ne cursus doctrinæ, & veritatis traditæ aduersariorum dictis impediretur. Deinde quoniam vt paulo ante dixi, non omnia, quæ dicuntur contra singulas veritates allatas afferre volo, sed solum

Quid in hac parte sit propositum.

Cur hoc loco ponãtur rationes aduersariorũ.

ſolum argumenta quædam, quæ contra tria capita ſuperius poſita momenti aliquid habere videbuntur. Nec debui omnino hanc partem huius operis relinquere: tum quia non ita remaneret confirmata veritas; tum etiam vt qui noſtra ſequuntur, poſsint ab aduerſariorum iaculis ſe tueri, ac in veritate perſiſtere. Afferam autem primo loco, quæ contra dilectionem inimici pugnant; Et quod inimicos diligere non ſit neceſſe, his rationibus probatur. Primo ex Matth. cap. 5. Audiſtis, ait Seruator, quia dictum eſt. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ergo licet odiſſe inimicum: & ſi licet odiſſe, licebit etiam non remittere iniuriam; & multo magis negare ſigna dilectionis fas erit. Quòd ſi dicas: hunc non eſſe ſenſum illius loci, & nõ haberi hęc verba in ſcriptura: hoc videtur eſſe contra ſententiam multorum, & maxime D. Gregorij can. cũ in lege 23. q. 4. qui aſſerit, iſta verba fuiſſe in lege. Ergo cum pertineant ad legem naturæ, habebunt quoque vim in lege euãgelica. Prima reſponſio ad hanc argumentationem eſt eorum, qui putant verba illa fuiſſe in lege; & aiunt per inimicum eſſe intelligendũ diabolũ, ita Origenes, & ſanctus Antiochus ſermone quinquageſimo quarto. Auguſtinus autem ait, nos debere habere odio inimicum, quantum ad malitiam, quæ in eo reperitur. Alij illa verba: dictum eſt antiquis: intel-

Cur fuerint afferendæ.

Prima ratio ex cap. 5. Matth.

D. Gregori. 23. q. 4.

Prima reſpõſio.

Origenes S. Antioch. Auguſt.

2. Reſpõſio.

intelligũt de philosophis: qui ex maxima topica ita arguebant. Si amici sunt diligendi. Ergo inimici sunt odio habendi. Verum hæc explanatio non admodum placet, cum Christus ibi alloquatur hebræos, & eorum errata corrigat, ac legem perficere intendat.

Confutatio

Sunt qui dicant, intelligenda esse de Iudęis: & per antiquos, intelligendos esse veteres Rabbinos, qui hanc corruptam doctrinam de habendo odio inimico tradiderunt, vt cap. 16. diximus; vt nihil tale esset scriptũ in lege: sed ipsi peximè ex lege inferebant, arguendo à contrario sensu. Ita Alber. Magn. Lyranus in hunc locũ: & Hugo Car. qui addit, fortasse sumpsere occasionem errandi ex eo, ꝙ aliquando Deus puniuit eos, qui inimicis pepercerunt, vt patet de Saule primo Regum cap. 15. sunt qui dicant, Iudęos intexuisse illa verba in codice scripturæ, quorum sententia mihi non arridet: tùm quia Christus ait: Dictum est: non scriptum: tùm quia eos huius corruptelæ redarguisset. Et licèt canon citatus, qui est Gregorij, videatur concedere, illa verba fuisse in scriptura, & illis fuisse permissum, odisse inimicum: tamen communem sequẽtes opinionem, hoc non probamus. Nam vt bene ait Albertus in illum locum: Christus dixit: Dictum est: & non addidit, antiquis, vt supra fecerat: quia non erat scriptum in lege. Vnde patet vera responsio ad hanc auctoritatem, quia

Alia declaratio, & responsio.

Alber.
Lyran.
Hugo Car.

1. Reg. 15.

Confutatur quorundam sententia.

Declaratur locus.

quia talis corrupta doctrina nō erat in lege. Secunda ratio ad impugnandam dilectionem inimici est auctoritas Dauidis psal. 138. vbi loquens de inimicis suis ait. Perfecto odio oderam illos. Quare licebit exemplo sanctissimi prophetæ flagrare odio cōtra inimicos. Prima responsio ad hunc locum potest desumi ex Innocentio 3. ser. 2. de Sancto Laurentio, vbi ait, dari duplex odium: alterum quidem bonum, de quo hic locus intelligendus est, & ille: Iniquos odio habui, & ille; Qui odit animam suam inueniet eam: alterū malum, de quo loquitur Ioan. epist. prima cap. 3. psal. 75. Titelmanus in hunc locum hanc esse piam expositionem affirmat, si intelligatur de odio, quo quis detestatur vitium, quod est in inimico, quomodo Iacobus de Valentia, & Hugo Cardinalis exponunt: sed præstat, inquit, vt per odium perfectum intelligatur plena detestatio impietatis. Item Iacobus de Valentia intelligit illa verba de Christo, qui obstinatos odio perfecto odit. Tertia deducitur ex innumeris locis sacrę paginæ, & ex auctoritate virorum sanctorum, qui inimicis suis multa mala imprecantur: & ipsa mater Ecclesia hoc quotidie facit, dum orat, vt sui inimici disperdantur, & confundantur, & vincātur. Et Paulus in actis apost. cap. 23. Percutiat te Deus paries dealbate. Pro solutione huius rationis legendus est Beda ad Rom. 12. quo loco affert multas scri-

Secunda rā. Dauid.

Pr. respōsio

Innocent. 3.

Dup. odiū.

Titelm.

Alia resp. Iacob.

Hug. Card.

Locus declaratus.

Alia expositio.

Tertia ratio

Psalm. 59.

Paulus.

Beda.

scripturas contra præceptum de diligendo inimico,& de non reddendo malo pro malo, & respondens hæc scribit. Cum iustus,&
Iustus,& impius vario modo vindictã petunt. impius petunt vindictã, in eo discernuntur, quòd iustus magis cupit inimicum corripi, quàm puniri; nec eius delectatur pęna, quia non odit;sed diuina iustitia,quia Deum diligit; lætatur pro eo, vt corrigantur alij,& eũ timeant imitari. Legendus est hic locus. Phi
Philippus pśbiter c. 5. lippus pśbiter D. Hieron. discipulus in Iob eodem modo soluit; & verba D. Pauli asserit esse dicta per prophetiam. Idem Iusti-
Iustin. q. 25. nus martyr in quęstionibus ad orthodoxos docet; asserendo huiusmodi locutiones esse intelligendas per modum prophetiæ, & per
Eucherius in qq. noui testam. eas ventura prædici. Eucherius Episcopus Lugdunensis declarans eũdem locum actuũ apostolorũ; percutiet,inquit,non percutiat: reddet,nõ reddat:nõ maledicẽti animo dicit,
Greg. Niss. sed vindictã denũtiat. Gregorius Nyssen.lib. de orone asserit,sanctos huiusmodi mala imprecari ad correctionẽ. Quã ob rem ira,quã exercent homines iusti erga scelerosos,debet esse huiusmodi, qualis est ira Dei erga nos,
Bereng. ser. de nat. martyr. ps. 59. quã omnino elegãter describit Berengotius, declarãs illa verba psalmi. Iratus es,& miser
Iræ diuinæ descriptio. tus es nobis. O ira misericors, quæ sic irascitur, vt subueniat: sic minatur, vt parcat: sic aufert, vt restituat: sic tradit, vt eripiat: sic destruit,vt muniat: sic abijcit,vt recipiat. O quam salubris indignatio, quæ sic auertit,

vt respiciat: sic claudit, vt aperiat: sic exigit, vt dimittat: sic deijcit, vt regat: sic perdit, vt requirat, sic amittit, vt custodiat. Quarta ratio potest deduci ex alijs locis scripturæ, in quibus maledicit hominibus facinorosis, & iniquis. Quare cum inimicus iniquus sit, licebit mihi, ei maledicere, & cum odio habere. Vt breui huic obiectioni satisfaciamus, aduertendum est; maledictionem apud sacras litteras interdum significare interiorem iniquitatem, vt adnotauit Claudius Guil. ad Galatas cap. 3. sic intelligitur illud psalmi 118. Maledicti, qui declinant à mãdatis tuis; hoc est; qui ex mandatis tuis non viuũt, sunt iniqui: Matth. 25. Ite maledicti idest iniqui. Postremo desumitur ratio ex cap. 10. D. Lucæ Interrogatus dominus, quis esset proximus. Respondit: qui fecit misericordiam cum illo. Ergo cum inimicus erga nos non misericordiam, sed iniustitiam exerceat, non erit pro proximo habendus, nec amandus. Diluit hanc rationẽ Scotus, dum inquit hanc vocem, proximum, esse vocem relatam, sicuti vox, amicus relata est: Cum autem proximus sit is, qui facit misericordiam: ille etiam, erga quẽ adhibetur misericordia, dicetur proximus: misericordia autem est adhibẽda etiã erga extraneos, & omnes, qui aliqua ratione nostra indigent ope. Quare quiuis cui gratificari possumus, proximus erit; ex quo numero non potest excludi inimicus ex domi-

Quarta rõ.

Maledictio quid valeat apud script.

Claudius Guiglian. Locus explicatus.

Psal. 118.

Matth. 25. Locus explicatus.

Alia ratio

Responsio Scoti.

Proximus qui dicatur.

nica doctrina. Et has rationes circa dilectionem inimici attulisse, & soluisse sufficiat. Nunc de vindicta propria auctoritate sumenda, an sit licita disputemus.

Soluuntur argumenta probantia vltionem, & vindictam priuatam esse honestam. Cap. 57.

Vindicta hostis public°.

PRinceps hostis religionis, ac pacis, quibus res omnis continetur publica, est vindicta: cuius faciendę libido ni frenaretur, breui mutuis cędibus genus humanum interiturum esset. Quæ ideo magis deuitanda est, quòd & speciem iustitiæ pręseferat, & venenum quod effundit dulcitudine quadam, hoc est voluptate, quæ dum peragitur sentitur, temperet. Quod autem speciem quandam iustitiæ vltio habeat, rationes quædam demonstrare videntur, quibus qui vltionem appetunt, se tueri consueuerunt; his autem cum in graui errore versentur, vt consulamus, eas refellere hoc capite curabimus.

Vindicta cur fugienda.

Claudius Mamertus lib. 1.

Quandoquidem, vt recte Claudius Mamertus scripsit; nemo periculosius peccat, quàm qui peccata defendit. Contra ea, quæ diximus confutando priuatā vindictam possunt afferri huiusmodi rationes. Primò exēplo sanctorum. Helisęus maledixit pueris se irridentibus; & id propria auctoritate.

4. Reg. c. 1. 4. Reg.

Idem Elias, qui igne concremauit pueros,

qui

qui ad ipſum capiendum venerant. Reſpondetur ex D. Thoma ideo hos vltos fuiſſe hãc iniuriam, quod cederet in Dei ignominiam, & ita tanquam prophetę Dei perſonam gerẽtes, potuerunt iniuriam inferentes occidere. Iniuria enim quæ fit Deo, nullo modo eſt ferẽda, vt aliàs diximus. Dei iniurias, ait Chryſoſtomus, neque vſque ad auditum ferre debemus. Addere etiam poſſumus hanc non tàm fuiſſe vindictam, quàm iniuriæ propulſationem. Secunda ratio colligitur ex doctrina D. Ambroſij, quæ refertur can. Non inferenda, vbi ait; legem virtutis conſiſtere non in ferenda, ſed in depellenda iniuria. Quare nunquam licebit tolleranter ferre iniuriam. In primis hic locus apud Gratianũ, vt et alij multi, mendoſus eſt. Nam apud D. Ambroſium lib. 1. officiorum ita legitur. Neque in inferenda iniuria, ſed in depellenda iniuria lex virtutis eſt: & ita deeſt præpoſitio, in, voci ferenda. Si verò admittamus lectionem illam, intelligendus eſt locus, cum quis poteſt, & debet propellere iniuriã: aliàs enim vt ait ibi gloſſa, non teneretur. Loquitur enim de defenſione alterius ab iniuria illata, quam ex lege iuſtitiæ, vel caritatis propulſare debemus, vt aliàs diximus. Tertia ratio, qua probatur non licere vindicare coram iudice accuſando. Sumitur autem ex auctoritate Anacleti, aientis, eſſe vanum velle diuinam iuſtitiam adiuuare, & errare eos,

D. Tho. 2. 2. q. 108. ar. 1. ad 2.

Iniuria quæ fit Deo, non eſt ferenda.

Chryſoſt.

Secunda rõ D. Ambroſ. 23. q. 3.

Reſp.

Locus mẽdoſus corrigit.

Cap. 36.

Alia reſp.

Gloſſa.

Cap. 23.

Tertia ratio

Anacletus can. Si omnia 6. q. 1.

qui putant ex caritate se accusare. Quare vindicta per accusationem non erit licita.

Resp. Glossa.

Ad hanc argumentationem respondet glossa can, si omnia 6. q. 3. & ait, sententiam Anacleti esse intelligendam de criminibus occultis: & ideo ait; si omnia, quia occulta seruantur Deo 32, can. erubescant. Ancharanus intelligit de his, qui malo animo accusant. Et vtraque responsio quadrat. Quod autem nullo modo velit prohibere accusationem, patet expresse, quia Anacletus in epistola prima concedit accusationem, & pariter in epistola tertia. Vult autem redarguere eos, qui male accusant, vt patet ex titulo epistolæ, qui talis est. De oppressione episcoporum. Et epistola secunda monet, vt si quis aliquid contra eos habet, eos ex studio caritatis, & familiari colloquio moneat. Quarta ratio, qua probatur, non licere condonare iniuriā, Hoc autem probatur ex D. Hieronymo, cuius doctrina habetur can. sed illud. Dum vni parcunt, vniuersæ Ecclesiæ moliuntur interitum. Quæ est ista misericordia, quæ est ista bonitas, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Quare semper vindicta erit facienda vel publica, vel priuata auctoritate vt publico consulatur bono. Hac argumentatione solum probatur nos debere quærere vindictam, cum ex relaxatione actionis iniuriarum, aliquod maius suboriretur malum. Et hic locus solum probat iudices non

Anchar.

Accusatio non dānata ab Anacleto.

Quarta rō.

d. 45. D. Hieron.

Confutatio

debere ſinere abire impunitos facinoroſos homines; quod etiã nos docuimus, idq; propter publicam vtilitatem. Quod autem pertinet ad propriam vtilitatem, magis nobis expedire videtur, vt libenti, & pacato animo iniuriam feramus; credendo verum eſſe illud, quod ſcripſit D. Martialis Epiſt. ad Toloſanos. Et ſuper tribulantes vos erit manus domini in vindictam, & vltionem debitã. Quòd ſi te mundus arguit, & increpat, quod pateris, dic cum Ignatio. Scio quid mihi expediat. Nunc incipio eſſe diſcipulus Christi. Concedite mihi, vt ſim imitator Dei mei. Sumi poteſt alia ratio ad probandam vindictam priuatam eſſe licitam ex l. hæredem ff. de his quibus vt indignis legata auferantur l. 1. C. eodem. Hæres non vindicans mortem defuncti eſt infamis. Ergo ne quis infamiam hanc incurrat, debebit defuncti iniuriam vindicare. Primo dicimus hanc legem nihil probare, & reijciendam eſſe, cum ſit cõtra bonos mores. Aſſerit tamen Follerius titulo de accuſatione porrecta, habere fortaſſe locum hanc legem, quando hæres colluderet occiſoribus. Verùm nobis ſufficit auctoritas ſacrorũ canonũ, ex quibus diſcitur leges ciuiles non eſſe ſeruãdas, quando cum honeſto pugnant, & vitio fauent. Rurſus deducitur argumentum à lege naturali, quã incitantur omnia ad repellenda, & deſtruẽda ea, quæ ſunt contraria, & omnia pro conſerua-

Cap. 45.

D. Martialis cap. 19.

D. Ignatius ep. ad Rom.

Alia ratio.

Reſponſio

Follerius nu. 33.

Felix d. 10. ca. conſtit.

Lex ciuilis non eſt ſeruanda quando eſt cõtra bonos mores.

Alia ratio.

ſeruatione ſui pugnāt. Quare licebit propria auctoritate ſequendo naturæ propenſionem, iniuriā vlciſci, & punire, ne nobis nocumēto ſint. Argumentatio hæc nihil concludit contra id, de quo eſt dubitatio. Solum enim probat defenſionē per propulſationē eſſe licitā. Et aliàs diximus, quomodo ſit accipiēda hæc propenſio in homine: cuius conditionē ſi ſpectemus, potius dicemus eſſe animal quoddā à natura factum ad quietem, & pacem, cum inermem eum finxerit. Hinc Phocilides.

Confutat.

Cap. 21.

In tractatione de amore frat. cap. vltimo.

Phocilides.

Arma cuiq; tribuit Deus naturam aeripetam
Auibus quidem multam velocitatem roburq; leonibus,
Tauribus verò p ſe fuſis cornibus, aculeos apibus
Innatum adiutorium dedit. Ratio vero propugnaculum hominibus.

Alia ratio.

Item vlciſci, eſt par pari referre. At hoc eſt honeſtum, cum ſit operatio iuſtitiæ. Vltio igitur non erit damnanda. Si par ab eo, ad quem pertinet referatur, erit operatio iuſtitiæ. Si autem ab eo, ad quem non pertinet, erit iniuſtitia. Cum ergo vindicta ſit actus iuſtitiæ, quem exercere ad iudicem pertinet, non poteris absque iniuſtitia partes iudicis occupare. Et Ariſtoteles non dixit eſſe iuſtū ſimpliciter, ſed homines exiſtimare, non eſſe iniuſtū. Et propterea alibi dixit, non eſſe ferè iniuſtitiam. Quare intelligendus eſt Ariſtoteles quando par pari debito modo redditur per magiſtratum, ad quem etiam ipſe

Reſp.

Vindicta actus iuſt.

Ariſt.

Ariſt. locus declaratus.

ſe eundum eſſe docuit. Quòd ſi dicas: offi- *Obiectio.*
ciens habet aliquid amplius, quàm qui in-
iuria affectus eſt. Ergo ſicuti ſine iniuſtitia
licet repetere à Iure quod abſtulit: ita per vl
tionem licebit repetere honorem ablatum.
In primis, aliàs diximus lædentem non ferre *Reſp.*
ſecum honorem tuum, ſed ignominiam, quã *Cap. 22.*
ſibi iniuſtè percutiendo acquiſiuit: quam
quoque ignominiam tu contrahes, ſi contra
leges, & æquitatem repercutere volueris, vt
eleganter Maximus Tyrius ſcripſit, & alibi *Maximus Tyrius.*
nos docuimus. Deinde falſum eſt habere
aliquid minus eum, qui læſus eſt, ſimpliciter
loquendo. Nam iniuria affici, vt ſupra pro- *Cap. 50.*
batum eſt, non eſt peccatum, quo præcipue
honor amittitur. Et ſi minus habet, illud per
quos debet, repetat. Quòd ſi Ariſtoteles ait, *Ariſt. locus declaratus.*
inferentem iniuriam plus habere, intellige
quantum ad delectationem, & ſatisfactionẽ.
Lege Suſium in reſponſione quarta ad argu- *Suſius.*
menta Antonij Bernardi. Quod ſi item ex *Obiectio. 2. lib. Rhe. cap. 5.*
Ariſtotele vrgeas Deum præſtò eſſe iniuria
affectis: & nullibi ſcriptura non ait, Deum
eſſe protectorem pauperum, & adiutorem
afflictorum, & iuſtorum, vt eſt is, qui contra
iuſtitiam læſus eſt. Primo, quidquid excla-
met Antonius Bernardus, habemus per ſa- *Anton. Ber. l. 3. ſect. 7.*
cras conſtitutiones, & doctores Chriſtia- *Reſponſio*
nos, vltionem priuatam eſſe peccatum gra-
ue; atqui Deus opem ſuam non fert ijs, qui
peccant, cum peccator, & eius iniquitas ei

odio ſint, & is ſit, qui non vult iniquitatem:
Pſal. 5. ſi præſtò eſt iniuriam perpeſsis; id accidit
quando vindicta quam ſibi reſeruauit; inte-
Suſi' reſp. 2. gra Deo relinquitur, nec per vltionem tenta
tur. Et ita ſunt accipienda loca ſacræ ſcri-
pturæ. De Ariſtotelis auctoritate mirum
eſt, quod vir doctus vſus fuerit hoc loco, ad
Suſius. id probandum, quod volebat, vt egregiè Su-
Ariſt. locus ſius reſponſione ſecunda demonſtrat. Phi-
declaratur. loſophus eo loco loquitur de modis, quibus
fiducia capitur; & nihil de iuſta, vel iniuſta fi
ducia meminit. Et aſſerit etiam eos, qui con
tumelia afficiuntur fiduciam capere. Et in-
telligi optime poteſt eo modo, quo loca ſa-
cræ ſcripturæ capienda ſunt; læſos capere fi-
duciam quando Deo relinquunt vltionem;
ſperando Deum vices ſuas vlturum eſſe. De-
mum oportuiſſet animaduertere Ariſtotelē
tradere locos topicos, hoc eſt probabiles;
qui ſæpe ex eadem re etiam contrarij ſumun
Ariſtot. tur. Et idem Ariſtoteles aſſerit; iniuriam fa
cile fieri amicis: & item amicis non facile fie
ri iniuriam ob diuerſas tamen rationes. Qua
re iniuriam perpeſſus partim poteſt capere
fiduciam, & ſperare in auxilio diuino; partim
verò non capere, quatenus dum per ſe vindi-
ctam ſumere vult, Deum tentat, & offendit.
Refellitur Neque argumentum quod à bello deſumi ſo
Alia ratio. let quidquam valet; quaſi ſingularis pugna
ſit quædam belli particula; quia hoc longiſsi
me à veritate abeſt, cum bellum ſit ad defen-
ſionem

ſionem & ad propulſandam iniuſtitiã, ſeu ad exigendam pœnam ab eo, qui habet dominiũm in eos, quos bello afficit: at vltio non eſt defenſio; Et licèt Cicero duas fecerit naturæ partes, tuitionem ſui, & vlciſcendi ius: tamen vel in hoc errat; aut ſano accipiendus eſt modo, de vltione debita ratione facta. Hin Phocilides: Cic. in top. Phocilid.

Enſe accingor μὴ πρὸς φόνον ἀλλ' ἐς ἄμυναν.
non ad occiſionem ſed ad defenſionem.

Nec mirum eſt, ſi aliqui legis naturæ interpretes in hac re lapſi ſunt; quia eſt aliquãtulum à primis naturæ luminibus remota, & in rebus etiam clarioribus errarunt. Apud aliquas nationes furtum pro peccato non habebatur, vt Cæſar libro ſexto de bello gallico, & Heracles lib. de politijs ſcripſerunt. Aliqui dixerunt licere quandoque mentiri, vt inter cæteros Heliodorus Emiſſenus; & Iuſtinus libro decimo octauo refert Carthagi nenſes ſolitos fuiſſe victimam humanã imolare Dijs pro pace impetranda. Poſtremo cum quis iniuriam patitur, pudore, & verecundia ſuffunditur. Quare iniuriam pati, & non vlciſci erit aliquod peccatum. Cum ſolum ob peccatum verecundari ſoleamus. Gentium errores. Cæſar. Haracles Heliodorus Iuſtinus Plato in Mi noe. Alia ratio.

Tam falſum eſt, quàm quod falſiſsimum, nos ſolere tantum verecundari ob ea, quæ turpia ſunt; ob quæ homines pudore afficiuntur; quæ peccata non ſunt: veluti eſt paupertas; non eſſe honorum participem: Tum dice- Reſponſio. Alia reſp.

rem

rem id accidere, cum quis iniuriæ occasionẽ male agendo dedit. Aut certè cum quis non se defendit, cum inuaditur, & potest, & debet se defendere. Aut deniq; id accidit ob vulgi opinionem, quæ tantùm virium habet, vt mutari vix posſit. Neque verecundia est mala affectio, imò potius studiosa, & quidam existimarunt, esse habitum bonum. Et licèt alia posſint afferri argumenta contra ea, quę de vltione, & tollerantia iniuriarum, & de duello diximus: tamen quia partim ex doctrina varijs locis in hac tractatione posita, & ex his, quæ hoc capite diximus, facile refelli posſunt, huic capiti modum imponentes, ad refellendas rationes, quæ contra ea, quæ de pace exterius facienda diximus, afferri solent, accedamus.

Alia solutio Cic. in top.

Alex. Aphr.

Confutantur rationes pacem exteriorem non esse necessariam probantes. *Cap.* 58.

EVM finem in omni vita sua Christus seruator noster habuiſſe videtur, vt homines quantum fieri potest, Deo patri persimiles redderet: à quo scopo nemo eorum, qui aut verbo rem Christianam tractant, aberrare deberet. Quo fieret, vt nihil diceretur, aut scriberetur, quod pietatem christianam vllam in partem labefactaret. Verùm & ob inanem gloriam, de qua Poeta Lyricus ait.

Niceph. lib. 1. c. 22.

Et tollens vacuum plus nimio gloria verticẽ.

Horatius.

Et

Et ob alias iniquas causas solent homines, vt aliquod sapientiæ nomen sibi acquirant, aliquid noui medium proferendo, puram, & cãdidam doctrinam infuscare. Quod sanè accidit in ea re, quam præcipue hac nostra tractatione docuimus, de pace exteriori signo facienda. Quam veritatem licèt satis efficaciter superius confirmauerimus: tamen ne ab ea quis vnquam dimoueatur, qua ratione dissolui argumentationes, quæ contra afferuntur, possint doceamus, vtilitas monet.

Primo fauere videtur contrariæ sententię aũctoritas illa scripturæ. Non credideris inimico tuo in æternum. Cur ergo vis me obligare ad pacem cum eo ineundam, cui me credere non debeo? Hunc locum nihil facere pro aduersarijs, facile discitur ex his, quæ scribit Iunilius libro primo ἀντικειμένων interrogatione 18. vbi conciliat hunc locum cum illo: Esto consentiens aduersario tuo. Quod Salomon non credendum inimico prę cipit, de diabolo accipitur; ne nos ipsos ei vnquam credamus. Et quis credat calumniatori, & hosti infestissimo, qui mille artibus, mendacijs, monstris, illusionibus humanum genus decipere semper est enixus? Et quantum ardeat desiderio nocendi Christi fidelibus hoc nostro seculo cognouimus, cũ tot hominũ mentes deprauauerit, & maxime scelestissimi Lutheri, cui, vt ipse fatetur, intempesta nocte argumenta suggesta sunt à dæmone

Prima ratiõ

Eccl. 13.

Iunilius

Matth. 5.

San. Antioc. ser. 54.

dęmõ nocet hominibus.

Lindanus lib. 1. dial.

dæmone ad tollendam missam: & in illa con flictatione asserit se esse victum, & decertasse vsque ad sudorem. Tanta itaque nocendi cupiditate deflagrat, vt etiam obesse velit, quamuis inde ipse non leue detrimentum capiat, vt meritò rex stultus appelletur in sacra pagina. Rex inquit D. Salonius, quia à principio mundi regnat: stultus, quia quò plures decipit, eò maiorem sibi pœnam accumulat. Sequitur postea Iunilius. Alterum de proximo, ne tradamur iudici, ab eo arsuri. Deduci potest secundo pro contraria sententia argumentum ex cap. prælatus de homicidio lib. 6. Clericus potest deponere iniuriam apud iudicem petendo emendam sibi fieri, & prouideri, ne de cætero contra eum talia præsumantur. Ergo licet non facere pacem, sed accusare, & vrgere, ac prosequi actionem iniuriarum contra inimicum. Locus iste in speciem aliquid probare videtur, sed reuera potius à nobis est, quàm contra nos. Nos enim concessimus superius licere agere contra iniuriosum, si id ex legibus æquitatis fiat. Sed non probatur ex hoc loco, non debere fieri pacem, cum de ea facienda debito modo quis requiritur. Tertia ratio sumitur ex iure ciuili l. si operis C. de pęnis. Refert reip. vt delicta puniantur. At quando pax fit, & actio iniuriarum deseritur, solent remanere impunita. Quare non debeo contra publicam vtilitatem pacem facere, aut actionem

Dęmō Rex stultus. Ecclesi.

D. Salonius

Dęmon stultus rex cur dictus.

Secunda rō.

Responsio

Cap. 47.

Tertia ratio

remit-

remittere. Quòd si dicas; facta pace poteris adhuc actionem prosequi: hoc non videtur verum cum leges id prohibeant, l. non solũ §. 1. ff. de pactis, & Inst. lib. 4. tit. eod. §. fin. quibus locis habemus ex Vlpiano actionem iniuriarum dissimulatione aboleri. Ergo multo magis quando pax intercedit. Et vsus hoc docet quotidianus, impunitos facta pace facinorosos abire, aut saltem leuissime puniri. Facile hæc cauillatio refellitur ex his quæ cap. 45. tradidimus. Concedimus enim reip. referre, vt peccata puniantur, neque id ex se impedit pacificatio. Fungatur ergo offensus officio suo, atque iudici integrum relinquat suum. Quod si iudex omnino iniquus esset, & reus existeret reip. perniciosus, posset se offensus à pace facienda sustinere. Quando autem ait Vlpianus, iniuriarum actionẽ simulatione aboleri, nihil dicit, quod nostram sententiam vllam in partem labefactet; cum aliud sit iniuriarum actionem dissimulatione aboleri, aliud facere pacem, quã quis facere non est obligatus, nisi reus conuenienter pro illata iniuria satisfaciat, vt ex his, quæ disputata sunt constat. Quarto pro contraria opinione sunt quorundam doctorum auctoritates, quibus probari videtur, neminem esse obligatum ad danda signa exteriora conciliati animi. Ita videtur sentire D. Tho. 2. 2. q. 25. ar. 9. Caietanus ibid. Dur. 3. sent. d. 30. Tho. de Argent. d. 30. ar. 3. qui doctores

Remouetur responsio.

Vlpian.

Responsio

Quarta rõ.

D. Thom. Caiet. Duran. Thomas de Argent.

ctores tradunt hanc conclusionem. Solum offensum esse obligatum ostendere signa singularia dilectionis in extrema necessitate.

Chrysosto. Iauel. Abbas. Lancel. Côr.

Chrysostomus Iauellus Tract. 3. de Christiana caritate cap. 4. Abbas cap. 1. in fine de maled. Et Lancellotus Conradus lib. de Imperatore cap. 1. vers. 16. nu. 7. asserit de hac re se consuluisse eruditissimos Theologos, & eos post longam disputationem conuenisse, veriorem, & magis receptam esse sententiam, non esse aliquem obligatum ad faciẽdam talem pacem, per quam offendens possit à principe gratiã implorare, & citat D. Tho. sententiam loco proxime allato. Adde etiam quosdam concionatores, qui hoc publice docent: & hìc Perusiæ vir quidã bene doctus, & concionator non obscurus, de sententia D. Thomæ palam hoc docuit. Quare poterit quis sequens horum doctorum opinionẽ, tuta conscientia non dare signa exteriora dilectionis.

Cõfirmatio

Responsio

Respondentes ad hanc argumentationem, obijcimus primo aduersarijs communem sententiam, de qua constat per auctores quos citauimus cap. 28. 29. qui speciatim ad quæstionem à nobis propositam respondebant. At verò qui afferuntur pro sententia contraria, doctrinam vniuerse tradebant, nec speciatim de nostra quæstione disputabant, vt aperte de D. Thoma cõstat, qui aliàs tribus in locis nobiscum facit. Theologi illi, quos se ait consuluisse Conradus, ne-

scio

ſcio quinam ſint,& quàm docti, & quàm verſati in rebus moralibus, quas táquam minus difficiles ſe cognoſcere poſſe, ſine peculiari induſtria pleriq; Theologorum arbitrantur, ſed toto cœlo,mea ſententia,errant. Adde, quod fortaſſe loquebantur de pace publico inſtrumento facienda,ad quam formulam ex ſui natura neminem obligamus, vt cognoſcere licet ex his,quæ cap. 31. diſputata fuerũt. Concionator ille nõ ſine ſcandalo id docuit, cuius doctrina adhuc multi ita imbuti ſunt, vt non facile ad veram ſententiam (experientia didici) ſe traduci permittant. Et non ſemel ad me allatæ fuerunt ſchenulæ à pœnitentibus,ſibi à ſuis confeſſarijs traditæ, quibus atteſtabantur poſſe offenſos ſimpliciter abſolui,non facta pace, etiam quouis modo petita. Quinta ratio: qui ſe reconciliat inimico facit iacturam famæ & honoris. Sed lex naturæ docet,& diuina iubet, vt hæc bona diligenter cuſtodiamùs. Quare nemo poterit ex iuſtitia obligari ad conciliationem faciendam. Quod aſſumitur videtur clarum, quia ſolent haberi pro ſordidis, & abiectis, qui faciles ad conciliationem ſeſe præbent. Verùm iſta vana,& inſulſa vulgi ſententia parum generoſos animos, & prudentes viros commouere,aut potius nihil commouere debet. Vulgus enim vt Cebetes ſcripſit,ignorantiæ,& erroris poculum à deceptione propinatum percolauit, ac propterea quò tẽdat neſcit.

[Margin: Alia ſolutio — Quinta rõ. — Prou. 20. Eccl. 41. — Solutio. — Cebetes Theban⁹ in ſua tabula.]

nescit. Docuimus nos præterea, esse erecti, & generosi animi iniuriarum immemorem esse. Est enim iniuriarum obliuio fundamentum pacis, & amicitiæ, cuius amicitiæ
Cyrus Promus. quot quantaq; sint commoda ex Cyro Promo cognoscere licet. Hoc fundamentum se
Simon de Cas. iecisse, in prima Philippica gloriabatur Cice
Dion. lib. 44 ro. Hinc lex illa tam celebrata apud Græcos *ἀμνηστίας*, hoc est, obliuionis iniuriarum.
Iustinus lib. 4. Demonstrat itaq; magnam animi celsitatem non mollitiem, & muliebrem animum, qui nouit iniurias æterna obliuione abolere. Huc facit illud Claudiani ad Honorium Augustum contra thrasones nostros.

Claud. *Sis pius in primis; nam cū vincamur in omni*
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Alia ratio. Solet etiam & illa ratio ad impugnandam hāc veritatem adhiberi. Non magis sum obligatus efficere aliquid causa inimici quàm amici. Sed signa particularia dilectionis, veluti osculari, blande alloqui, officij gratia inuisere, non sum obligatus ostendere amico. Ergo multo minus inimico.
Solutio. Sed hæc cauillatio satis refellitur ex his, quæ disputata sunt cap. 15. qui locus est consulendus. Ex accidenti enim fieri potest, vt debeamus aliquid causa inimici facere, quod in gratiam amici
Vltima rō. efficere non debeamus. Postremo addatur hæc ratio. Ille, qui publicam vtilitatem expetit, etiam si intercedat detrimentum priuatæ personæ, non iniuste illatum, non est

culpan-

culpandus; cum commune bonum ſit magis diuinum, & magis amandum. Ergo ſi quis neget iſta externa ſigna dilectionis amore iuſtitiæ, qua conſeruatur publica vtilitas, non erit criminandus. Quęrenda certe eſt publica vtilitas; ita tamen vt pro ea ſeruanda nihil peccetur. Quando ergo pacificatio non euertit publicum bonum, quod rarò contingit, non debet quis à pacificatione facienda, qua maxime communis concordia nititur abſtinere, cum pacificationes ad remp. conſeruandam apud omnes nationes ſint inuentæ, & vſurpatę. Pacem igitur, vt cum pace hanc tractationem de pace concludamus, nos regis pacifici milites amemus, ſequamur, eaq; aduerſarios vincamus: nos inquam, qui in Hieruſalem terreſtri id eſt in viſione pacis conſtituti ſumus, & ad Hieruſalem cœleſtem properamus, vbi perpetuo cum ſumma pace, pacis auctore perfruemur: quo fiet, vt concordia in rep. retineatur, & Deus optimus maximus debita religione cõtinenter colatur: vt tandem cum Salomone, ſi pace dabitur frui vera, dicere poſsimus. Benedictus Dominus.

Ariſt. 1. Eth.


Solutio.

Hortatio ad pacem.

3. Reg. 5.

FINIS.

Laus Deo, & Beatæ Virgini Annunciatæ.



INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Bonum

D

G

H

Honor

I

Iniuriam

Iudex

L

M

Na-

O

P

Q

R

Scri

T

V

Vltio

FINIS.

MENDA GRAVIORA.

Pagina	linea	Menda	Emendata.
6	10	quæ	qua
11	1	iniuriam	Iniuria
11	25	lacessitas	lacessitus
13	5	Poterit	Poteris
12	3	&	vacat
16	25	distinguuntur	distinguitur
22	22	lædit	rodit,
22	24	cum	vt
36	7	in	ni
36	12	cura	cum
41	12	excellentia	excellentiæ
52	20	quia	qua
54	24	honorantem	honoratum
55	15	deest. vt	vt postea
56	1	conquerentur	conqueruntur
62	12	Hæc	Huc
62	24	beneficio	benefico
65	28	quæ	qua
76	26	neglecta	neglectu
80	7	aliquid	aliquo
81	3	Quodnam	Quidnam
84	14	restitutione offensi	restitutione honoris offensi
91	21	nomendatore	nomenclatore
96	7	facit	fuit
103	7	verbo	vero
105	15	incitaremur	imitaremur
108	28	te	vacat.
109	28	erectum	enectum

Pagina

Pagina	Versi	Menda	Emendata
113	29	vitio	vitia.
114	5	quia	qua
129	31	impetratam	imperatam
124	15	&	ex
132	15	tum	tunc.
146	1	deest	ad excitandam
146	11	& re	&c.
146	22	perfectionem	perfectiorem
158	3	resipiscentium	risipiscentiam
158	5	dixisse	depinxisse
167	1	quis	qui
172	28	Ad	An
202	7	Zucca	Tucca
206	30	mentionem	mentitionem
211	27	somnietur	somniet?
217	1	duas	duæ
217	27	qui	quin
221	10	vnquam	nunquam
222	6	Etenim	est.n.
222	15	Hæc	Nec
222	17	Duobus	dolus
230	7	hierosolyphice	hieroglyfice
234	2	secundum	secundo
235	16	fecit	facit
240	26	gessit	se gessit
262	10	Vigore	Rigore
271	11	Iudicis	Iudicijs
291	6	facere?	facere:
291	7	persona quasi	persona sit quasi
406	5	accepit	accipit.
310	2	cum facile	cum non facile
310	14	esse	esset.
316	9	Iuris	Viris
322	22	Metuit	meruit
323	30	spiritum necat	spiritum suum necat
327	27	Pessimus	Pussimus
349	18	Vos	Nos
358	4	sint	sit.
359	4	Iure	fure
361	29	sunt ob c.	cum multa sint ob c.
362	25	Qui aut	Qui re, aut c.

